ERYCI PUTEANI
BAMELRODI
Hiſtoriographi Regii, Profeſſoris, Conſiliarii, &c.

EPISTOLARUM
POSTHUMARUM
CENTURIA III.
AD VIROS
ILLUSTRES, DOCTOS, ET AMICOS.

BIBLIOTECA NA ROMA VITTORIO EMANU



LOVANII,
Typis ANDREAE BOUVETI, Typ. jur.
ANNO CIↃ. IↃC. LXII.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO
GENEROSISSIMOQUE
FARNESII
PRINCIPI,
AUGUSTINO
CHISIO,
S. D. N.
FRATRIS
AUGUSTI
FILIO,
PRÆTORIÆ COHORTIS
§ 2 PON-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PONTIFICIÆ

TRIBUNO,

CASTRI SANCTI ANGELI

PRÆFECTO,

SUMMIS QUALITATIBUS

DECORATO,

RARISQUE

TUM ANIMI,

TUM

CORPORIS DOTIBUS

EXORNATO,

AD FAUSTAM

FOECUNDAMQUE

MAGNÆ

Google

MAGNÆ FAMILIÆ

CHISIANÆ

PROPAGATIONEM

DESTINATO,

ADEOQUE

FELICISSIMO

HYMENÆO

NOBILISSIMÆ

PRINCIPI

BURGHESIÆ

CONJUGATO,

CENTURIAM HANC

EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLARUM

AD

TOGATOS,

PHILOLOGOS

ET

AMICOS

DESTINATARUM,

UNA CUM VOTIS SUIS

JUNONI

LUCINÆ,

FACTIS

UT OPEM FERAT,

ET PULCHRA FACIAT TE

PROLE

Digitized by Google

PROLE PARENTEM

LAUDATISSIMI EARUMDEM

SCRIPTORIS

ERYCI PUTEANI

GENER

XYSTUS ANTONIUS

MILSER

HUMILLIME DEFERT.

Digitized by Google

Digitized by Google

ERYCI PUTEANI

EPISTOLARUM

POSTHUMARUM,

AD VIROS ILLUSTRES, DOCTOS, ET AMICOS.

CENTURIA TERTIA.

EPISTOLA I.

Bruxellam.

PETRO LE COMTE,

Sanctioris Conſilii à Secretis.

VIRTUTUM & Elegantiarum genius, tuus eſt: tuæ Gratiæ, quibus obnoxius Belgarum amor. Non dicis, ſed oſtendis te humanum eſſe, & quem obſtrictum habes, ampliùs obligas. O pulchrum munus! O theſauri compendium! O animi

pharmacum ! Ampliùs à te, an ab Auctore profectum ſit, dubito. Alieno ingenio liberalis es, & tuum oſtendis : tu mihi hæc ſcribere videris, quia mittis: tu me doces, tu me recreas, & opportunum languenti ſolatium mittis. Decumbo enim, & velut in nube morbi jaceo, quæ è capite in pectus procidentem nimbum ducit. Unus igitur hîc mihi in lectulo liber, velut individuus comes eſt: quidni ? Nominis ſuavitate meum mihi COMITEM repræſentans. Sic & inſignia tua cum voluptate contemplor : teſtari voluiſti, quo animo tam pulchrum munus mitteres. Gratiam admittis ? Theſauri compendium, animi pharmacum pergam appellare. Vale. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Januar. ∞. IↃC. XXIV.

EPISTOLA II.

Bruxellam.

JO. JAC. CHIFFLETIO,

Archiatro Regio.

EA ſæculi noſtri felicitas eſt, A. V. ut omnes paſſim ſcribant: ea infelicitas, ut pauci bene,

bene. Te inter paucos eſſe iſte nunc de Portu ICCIO liber oſtendit, melioribus ſanè typis dignus. Liber? Imò portus ipſe, olim Cæſaris, nunc tuus; quia ingenioſè & feliciter DEMONSTRATUS. Mari ſuo merſus jacuit, detectus à GAMELIO; ſed ut per te demùm ſciretur. Tu hîc mihi GAMELIUS es; imò tu mihi CHIFFLETIUS es, qui poſt Martianum, Meyerum, Vigenereum, Merulam, denique poſt Claverium, quàm eruditus, tam verus & accuratus fuiſti. Qui ſint Morini, & unde dicti, ſcire nunc licet: hinc Geſſoriacum, hinc vias per eum tractum militares, aggereſque: ad ſummam, ICCIUM eſſe MANDICCIUM, & *commodiſſimum in Britanniam trajectum.* Poſtquàm inſtauratus eſt, nomen ſuum invênit, quod tamen retinuerat. Nomen, & ſic terrorem: ut jam in Rege Cæſarem iterum vicinæ inſulæ timeant. Hoſtes quidem hactenus, quia non impediti, imperio quodam undas tenuêre. Tanquàm Neptunii, & furore maris armati, magis magiſque in potentiam Hiſpanicam inſurgere auſi ſunt, propinqua ac ſimul remota litora infeſtare, breviter Oceani quaſi imperium moliri. Sed adhuc portus ICCIUS ignorabatur, adhuc CHIFFLETIUS non ſcripſerat. Tuus ille calamus mare aperuit; vires animoſque nobis dedit,

 hoſtibus

hoſtibus eripuit. Hi enim, quia ICCIUM nobis eſſe portum ſciunt; claſſem quoque ſciunt, & ſic victoriam non defuturam. Prorſus in mari tellus vincenda eſt: naveſque Regiæ, quia navale habent, quia *ICCIVM* habent, ſternent omnia ac domabunt. Ubi malacia eſt, tempeſtatem facient; rurſus ubi tempeſtas, malaciam ac tranquillitatem. Noſter jam Neptunus erit, & omnia maris numina in ſubſidium Virtutis adducet. Liber interim tuus æſtimabitur, & quia cum felicitate temporum augebit famam, Doctrinâ, & Virtute æternus eris. Nunc etiam præmia utriuſque, velut teſtimonia nactus es; honores, tanquàm judices: ut cùm magnus domi eſſes, magis etiam foris inclareſceres. Quanti eſt Sereniſſimę Principi *ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ* Medicum, & à Cubiculis eſſe! Quanti eſt, negotiorum cauſsâ in Hiſpaniam mitti! Quanti eſt, ab ipſo Rege inter archiatros referri! Fruere præmiis iſtis, fruere honoribus. Sed fruere nunc magis ingenio tuo: non minùs enim eſt Portum *ICCIVM DEMONSTRASSE*. Vale. Lovanii, in Arce, XI. Kal. Decemb. ∞. IↃC. XXVI.

EPISTO-

EPISTOLA III.

Dolam.

NICOLAO DE MALPAS,

Nobili Sequano.

SUmmo quidem jure, LIBERALITATIS TRIUMPHUM TRIUMPHO ELOQUENTIÆ celebras: Omnino hunc debebas SERENISSIMAE ISABELLÆ CLARÆ EUGENIAE, PRINCIPUM OPTIMAE, ingenii cultum: quæ, ut omnium ſtudia promoveret, tua velut in exemplum, digna præmio cenſuit. Hoc age quod agis: iterum meretur beneficium, qui poſtquàm accepit, gratus eſt. Dicendo meruiſti; non potes niſi publicando quę dixiſti, gratiam nunc quidem profiteri. Scis quàm difficile ſit, dare ſive reddere Principi munus; ſed tuum illa ſi dabis, leget; nec minùs intelliget. Cogita, *CULTAM* eſſe, quàm *LIBERALEM* omnes ſciunt; Latinæ quoque linguæ peritam quæ non ſolâ vernaculâ inſtructa eſt. Ita me Deus & regere & loqui novit; quod non omnibus viris conceſſum eſt: favere bonis artibus

 ſcientiiſque;

ſcientiisque; quod apud paucos hodie Principes uſitatum. Sed oratio hæc tua quemadmodùm facunda eſt; ita nobiliſſimo argumento aſſurgens, SYMBOLUM inprimis REGIUM, ſplendenti metallo expreſſum explicat. Videmus in *AVRO REGEM*, in oratione noſcimus: quid ſibi aurea illa velint verba. *LVSTRAT ET FOVET* videmus & noſcimus. Qui *LVSTRAT*, qui *FOVET* omnia, PHILIPPUS eſt, & ſolo nomine elogium conſtat: *QVARTVS* eſt, & numeri myſterio magnitudo *AVSTRIACA*, quæ felicitatem continet temporum, deſignatur. Quia *QVARTVS* eſſe non poteſt, niſi *PRIMVS*, *SECVNDVS*, *TERTIVS*, præceſſerint, ante *TETRADEM*, & *MONAS* nobis, & *DYAS* & *TRIAS* expendenda eſt. In *MONADE* punctum eſt, magnitudinis principium; in *DYADE* linea, ſive longitudo; in *TRIADE* Superficies, ſive latitudo. Hoc ordine PHILIPPI ſunt, divinitùs ad ſparſa congreganda imperia mortalibus dati. *PRIMVS* namque inauditam retro ſæculis potentiæ majeſtatem fatali felicitate orſus eſt; *SECVNDVS* extendit; *TERTIVS* dilatavit; *QVARTVS* rerum jam potitur, ut abſolutum Monarchiæ corpus aliquando conſtituat, & verè magnus ſit, omnibusque ſalutaris. Ideò ſanè

deò ſanè SOLI s ſimulachro hic expreſſus eſt; ideò lucidis quadrigis per cœleſtia ſpatia circumvehitur, ut ſubjectum terrarum orbem *LVSTRET ET FOVEAT*. Tantum igitur bonum in pectore tuo NUMISMA oſtendet quia facundus fuiſti: & tua hæc gratiarum actio, legatur modò quemadmodùm audita eſt, plures haud dubiè facundos faciet. Audita eſt, & placuit; legi debuit ut ſemper audiatur, legi à *SERENISSIMA PRINCIPE*, quæ *LIBERALITATIS TRIVMPHVM, TRIVMPHO ELOQVENTIAE* gaudebit à te eſſe celebratum. Ita vale, & honore tuo feliciter fruere. Lovanii in Arce Pridie Kal. Quinctilis. Anno ∞.IↃC.XXVII.

EPISTOLA IV.

Lovanii.

FERDINANDO SPOELBERGIO,

Equiti, & Toparchæ Lovanioli.

MItto Epitaphium, in quo vel pauca, vel omnia mutari poterunt, ſi minùs ad guſtum. Meus hic impetus fuit, imo affectus,

quem debere me cenſeo, non Parenti tantùm, τῷ μακαρίτῃ; ſed & tibi. Meum ſi te vocem, amicitiæ ſatisfacio: me certè tuum & humanitate, & iis ſtudiis quæ humanitatem pariunt, feciſti. Quemadmodùm doceo hęc ornamenta, ita in aliis amo: tuo verò uti exemplo audebo, ut ornamenta eſſe oſtendam. Sed nunc Epitaphium examina: &, ſi non omnino malum, ſtrenæ loco habe: bonum verò erit, ſi emendare permiſeris.

D. O. M.
JO. BAPTISTA à SPOELBERCH,
Eques Armatus, H. S. E.
Ad omnem Elegantiam & Honeſtatem factus,
Quantum vitæ, tantùm laudis habuit,
Liberis tradens virtutis exemplum,
Quod à Majoribus acceperat.
Sub Alexandro Farneſio Miles, & ſtrenuus,
Expeditionibus variis interfuit:
Dunkerckanæ, Dieſtenſi, Bruxellenſi, Antverpianæ,
Otium amplexus, cùm ne ſic quidem quieſceret,
Reliquam civilibus functionibus ætatem dedit,
Vario munere Reipubl. gratus & utilis;
Fide & obſequio Familiæ Auſtr. dedicatus.
Ne præmia deeſſent,
Ab Auguſt Domo Auſtriaca Equeſtri dignitate,
Aureâque Coronâ donatus eſt,
Quâ Familiæ nunc inſignia reſplendent:
Sed pietas Viri Cœleſtem à Deo Coronam expectabat.
Obiit An. Chriſt. ∞. I Ɔ C. XXVII. Poſtrid. Brumam.
D. MARIA MAGDALENA GARET,
Uxor Marito opt. Mœſtiſſima P.

Ita ſalve, & lætis Kalendis novum hunc annum auſpicare. Lovanii in Arce, ∞. I Ɔ C. XXIX.

EPISTOLA

EPISTOLA V.

Bruxellam.

JO. BAPT. HAUWARTIO, I. C.

Libentiùs jam Bruxellam venturus ſum, quia in tuam domum; illam AMICAM, illam OPTIMAM, & quæ aliquid etiam Arcis noſtræ habet. Libentiùs, quia ad te, qui merâ humanitate jus mecum hoſpitii inire paratus es, quaſi ſic demùm amicitiam, olim initam confirmes. Teſſeram igitur allaturus ſum, IRRUPTIONUM Hiſtoriam: ut quantùm à Barbarie ſtudia noſtra abſint, videas; & quàm non inhumani plerique etiam Barbarorum fuerint. Ego, ut candorem tuum amo; ita rogo, ut omnem prorſus ſumptum & ſolicitudinem ab hoſpitali affectu removeas. Dapes noſtræ ſermones erunt; deliciæ, Litteræ. Nihil enim ſuavius puto, quàm de Litteris ſermones inſtituere; cùm cibus capitùr: ſuaviſſimum hunc ipſum eſſe, & pretioſiſſimum, quando eruditione conditur. Aliis

in rebus à vulgi me ſoleo exemplo ſegregare; in menſa verò philoſophari poſſum, & hilaris eſſe; explicare frontem, & ad delicias, quod mireris, Sapientiam revocare. Amabis mi HOUWARTI, mores meos, quemadmodùm ingenium hactenus aut ſtudia: & plus candori, quàm ingenio tribues. Quid dicam? Tu me exſpecta, tanquàm venturus non ſim: ego veniam tanquàm non exſpectes. Ut ſcias quàm anhelem, cras adero; imò ut neſcias me adfuturum, hoc jam te ſcire nolo, quod, ut ſcires ſcripſi. Vale. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Decemb. CIↃ.IↃC.XXIX.

EPISTOLA VI.

Lugdunum Batavorum.

JOANNI CABELIAVIO, I. V. D.

MAncipatum tibi pectus meum, mi CABELIAVI habes. Quid enim calamum dicam? Satis jam ſcriptione non poteſt amor tui exprimi. Utinam loquar potiùs, & tuum uſurpem vultum, quemadmodùm meum expetis!

petis! Ut tua iſta candidiſſimæ Suadæ epiſtola eſt, attonitus hæreo, & velut obmuteſco. Unde ordiar, aut ubi finiam? Placuiſſe tibi, jam puto ad famam meam pertinere. Clarus ero, quia tibi carus ſum: & aliquando cùm non ero, tuo tamen affectu vivam. Creſce lumine, quo circumfundi cœpiſti; orbem mox implebis. Quia famam modeſtiâ orſus es, omnium dotes, tuæ unius laudes erunt: evehendus plenis doctrinæ Encomiis, quæ tam liberaliter jam depromis, publicam tibi benevolentiam vindicabis. Filium quidem meum JUSTUM CAECILIUM addictiſſimum habes, qui vel à te nominatum eſſe, honori ſibi ducit: habes Clariiſſimum V. JO. JAC. CHIFFLETIUM Archiatrum Regium: à quo hanc ſchedulam adjungo. Nunc quia FLAVIA noſtra ingenio quoquè tuo riſit, extendo familiaritatem litterarii commercii, & Hiſtoriæ Inſubricæ libros mitto: facem, inquam, Barbarici temporis: tempeſtivè quidem, ut inhorreſcere nunc rurſus videntur omnia, accenſam. Ruentis videbis Imperii fatum, & tot Irruptionibus vaſtatam Italiam, quod deſtruendo Orbi ſat erant. Sed quid attinet dicere: in Italia Orbis erat, & in hanc congeſſerat Populi unius avaritia, quod omnes & præſertim à Septentrione gentes vel raperent vel reciperent.

ciperent. Noſtra quoque bella deſignari putes, & ab uno illo Mantuano dependere. Utinam pace potiùs componantur tam cruenti motus, & nos hîc optatis induciis fruamur! Satis Marti & ſævitiæ datum eſt: Minerva ſuccedat; ſuccedant artes, quæ à Barbarie ad humanitatem mortalium animos revocant, vel pulſæ hactenus, vel neglectæ. Dionyſii Catonis Diſticha huc inprimis faciunt, à minerva quodammodò profecta. ERASMI, ac poſtea SCALIGERI ingenio expolita ſunt; quemadmodùm à PLANUDE Gręcè verſa. Seriò igitur te rogo & hortor, ut tuis auctum Commentariis hunc libellum à pueris ad viros transferas. Pueri ipſi his præceptis inſtructi, viri eſſe incipient, & à vitæ vitiis mores removere. Quis iſte DIONYSIUS fuerit, divinare hactenus non potui. Sed ſequioris ævi eſſe, notâſſe videor, lib. III. Diſticho. IV. Verſu. II.

Simplicitas veri ſana eſt, fraus ficta loquendi.

Sumpta verba, & Sententiæ argumentum ex Anonymo Scriptore Fabularum Æſopicarum Fabulâ XXXIX.

Simplicitas veri, frausq́; eſtq; puerpera falſis.

Sanè aut omnia me fallunt, aut Anonymo huic ævi prærogativa debetur. Tu quod agis age, & oſtende bonum librum, quocumque

ævo ſcri-

ævo ſcribi poſſe: iſtum noſtro dignum eſſe. Imaginem meam, quam deſiderabas, in veſtibulo harum Irruptionum invenies, ſculptam quidem ante annos aliquot; ſed à qua vultus meus vix receſſit. Vale, & per otium conatus hos Hiſtoricos meos examina: ego ſi Aſinum Clariſſimi & Incomparabilis HEINSII miſeris, diligenter legam. Vile & contemptum nomen Sapientiam continebit. Iterum Vale. Lovanii, in Arce, XIV. Kal. Jan. ∞ .IↃC. XXX.

EPISTOLA VII.

Ruremundam.

ARNOLDO DE HAEN,

Conſiliario Regio.

SCriptionis cauſſas benignè diſputas; & affectum tuum ſingularem in me & amœniores artes diſertè profiteris. Sed hæc oſtendis ſic ſcribendo tua eſſe; & me ſic amando obnoxium tibi reddis. Itaque debebam Hiſtoriam, priuſquam miſeram: poſtquàm miſi, intelligere poteras, quantum deberem.

Quantillum

Quantillum autem munus meum eſt! Pretio vile, ingenio modicum, ſolo argumento magnum, ſed externum. Præſtabat fortè, vos & antiquitates Patrias eruere, & ab oblivione vindicare. Hoc fatum meum eſt, ab exteris æſtimari. Sanè ut Inſubres ſcriberem, ab Inſubribus invitatus ſum: & hoc nunc agitur, ut ad noſtra hæc tempora Hiſtoriam, irruptionibus terminatum perducam. Ab arbitrio Regis dependeo, qui cùm volumen iſtud liberalitate ſuâ dignum cenſuerit, ad novum videtur invitare. Dum delibero igitur, opus paro epiſtolicum, familiare eruditionis genus; quo omnia tamen hodie, ſive pacis, ſive belli negotia pertractantur. Oſtendis ipſe, quantum Senatoriæ Dignitatis ornamentum ſit, rectè epiſtolam ſcribere: ut hoc etiam exemplo gratum unicum, optimæ expectationis adoleſcentem poſſis excitare. Laudo verò pietatem tuam, quâ ſolicitus es, ut plenum ille ſtudiorum fructum maturè capiat. Sed ſive in mea, ſive in Amici domo, me ſi venerit, amicum inveniet: rogo autem ut pluris curam, quàm habitationem facias, ac me ames. Vale, Lovanii, in Arce, Prid. Kal. Martii. ∞. I Ↄ C. XXX.

EPISTOLA

EPISTOLA VIII.

Patavium.

LAURENTIO PIGNORIO,

V. C.

MElioribus, ut ſpero, temporum fatis, mi Pignori, utemur. Nam & componi dicuntur res Italiæ, & nobis hîc nova induciarum ſpes blanditur. Poſt tempeſtatem jucundior pax erit, & Suaviores quoque muſas, quos communi affectu colimus, faciet. Ultimus ingenii mei fœtus hæc Hiſtoria eſt, quæ Inſubrum antiquitatem, & Barbarorum ſimul in Italiam irruptiones repræſentat. Noli vel beneficium vel ornamentum nominare; ſi legeris, accipiam: ſi & in Bibliotheca tua nobiliſſima conſervabis, non omnis moriar. Symbolas tuas Epiſtolicas quidni cupiam? Deliciæ meæ erunt. Sed ô me infelicem! Origines Patavinas, (ſive ille Antenor eſt) non vidi. Ita vivam, mi Pignori non vidi. Quid? An tantum munus ſilentio admitterem? Et in tuam humanitatem inhumanitate peccarem? Dî malè perdant tam incurios, imò

rios, imò malos, qui me proximum ingratis poſuérunt. Quod reliquum eſt, rogo ut meis ſaltem ſumptibus me velis lucubrationum tuarum compotem facere. Ita enim intelligam, quod jam mitto PIGNORIO propenſiſſimæ voluntatis pignus non diſplicuiſſe. CL. FORTUNIO LICETO teſtari quoque affectum meum volui. Si quid gratiæ erit, tibi debeat. Utrique ego obſtrictus manebo. Laudes VECCHII cum ſumma voluptate legi. Gratulor Academiæ veſtræ tam rarum doctrinæ lumen; cui cultum ego meum cupio mancipatum eſſe. CREMONIUM adhuc vivere! Vivat etiam, & Philoſophari pergat; quemadmodùm egregiè hanc ille Spartam hactenus exornavit. SYNCLITUM plùs quàm dici poteſt, amo. Complectere quæſo meo nomine Optimum Doctiſſimumque Virum & tuo ſermone affectum meum exprime. Sed Bonæ Litteræ quem apud vos hoc tempore Profeſſorem habent? Quia ſiles, videris mihi tu ipſe in clariſſima illa Humanitatis Cathedra eminere. Felices igitur, qui te audiunt, & quorum augere ipſe numerum velim, Legam quæ ſcribis, & ſic vel abſens eloquii tui Suadâ fruar. Vale, & ſi me amas, ad cenſuram hæc Inſubrica mea voca: CHIFFLETIUS digniſſimum omnium affectu Vir litteras tuas expectat.

as expectat. Lovanii in Arce, v. Eidus Martias, ∞. ɪↄc. xxx.

EPISTOLA IX.

Dolam.

CONSTANTIO CHIFFLETIO,

I. C. & Profeſſori.

QUIA CHIFFLETIUS, es non poteras non humaniſſimus eſſe. Tales litteræ tuæ, talis affectus in me, & ut amplius me amares, in Amicum & nuper Contubernalem meum. Ego quantùm Virtuti & Doctrinæ debetur, nomini tuo tribuo: ille nunquam deſinet quantum tribuo, deprædicare. Utinam in ea ſaltem communi fuga ſalvus ſit! Tu in periculo, qui negligere pro conſtantia tua periculum proſerpentis contagionis potes! Facis quod diceris, CONSTANTIUS es, & forti pectore exemplum formas, quo timidi omnes erigantur. Sanè non metuere, primum adverſus hanc luem remedium eſt. Sed interim non metuere, ſatis non eſt, ut tuti ac muniti ſimus. Vide, obſecro, ut quàm intre-

pidus es,tam quoque cautus ac ſecurus exiſtas; aliquid etiam remittere de nomine velis, ut ſi vehementiùs ſævire Libitina incipiat, deſerere larem velis, quàm ſaluti non conſulere; ſtudia certè ubique invenies. Cùm *proximus ardet Vcalegon*, incendium vicinum eſt: cùm & noſtra tecta flamma corripit, ſalus in fuga eſt. Ignoſce, quemadmodùm amo, ſollicitus ſum, & ut magis litteris tuis, imò & affectu fruar, remotum te ab omni periculo cupio. Ita vale, & vive. Bruxellæ, & ab ipſo ocello meo PHILIPPO CHIFFLETIO Domino Belli-fontis monitus, ut ſcriberem. Breviter igitur, & ſubitò malui, quàm inhumanus tibi humaniſſimo videri. XII. Kal. Octob. ∞. IↃC. XXX.

EPISTOLA X.

Dordrechtum.

JACOBO VANDEREYCK,

V. C.

NOvam an veterem Aſtræam video? Sed non hæc in cælum averſata hominum improbi-

improbitatem fugerat: latebat potiùs obſcuris clauſa ſacrariis, quia ſuâ ſponte populares tui boni erant, & imperata faciebant: leges in mores migraverant. Voluiſti igitur novo, in veteris numinis, mores, ut ſic dicam, conſecrare. Tanquàm Principum imperia populi obſequiis victa ſint, oſtendis quàm ſit pulchrum non cogi: rurſus ne ab innata facilitate ſuccreſcentes ætates degenerent, mones, durare imperia, ubi obſequia obtinent. Jus, quia ratione conſtitutum eſt, & conſenſu viget, non mutat conſuetudine naturam, ſed confirmat: uſu tamen quàm juſſu metiri ſecuritatem vitæ malis. Vidêris igitur mihi, quot leges repræſentas, tot morum imagines exhibere, cernit populus officia Reipublicæ decretis Juſtitiæ circumſcribi. Hæc perpetua ſunt, illa perire aut mutari poſſunt. Tu, ne pereant, ne mutentur, feliciſſimo labore effeciſti. Bene eſt: ſeu moribus, ſeu legibus Reipublicæ felicitas æterna eſt: tu æternus, qui cùm laudare mores poſſes, leges deſcripſiſti. Vale, & aliquod boni affectus ſymbolum pariter à me exſpecta. CL. V. & Belgicæ Muſæ Apollinem CATSIUM, Urbis veſtræ ornamentum ſaluto. Lovanii, in Arce, IX. Kal. Decemb. CIↃ IↃC. XXX.

EPISTOLA XI.

Lugdunum Batavorum.

GERARDO JOANNI VOSSIO,

Eloquentiæ Profeſſori.

PRo tam luculento munere quod ſemel accepi, bis tamen miſſum eſſe intelligo, ſæpiùs profectò dicendæ gratiæ erunt, agendæ ſemper. Omnis iſti Eloquentiæ theſauri ſunt, limatiſſimæque Suadæ divitias continent; tam ad uſum publicum parati ac prompti, quàm incomparabili induſtriâ ac doctrinâ congeſti & ſtipati. Sed meum erit, hinc privatim diſcere, quod ſingulari etiam ratione debeam. Condiſcipulum me à prima ſtudiorum meade appellas: at ego, quia nunquam ſatis Eloquentia diſcitur, in hâc te paleſtrâ Magiſtrum agnoſco. Ita me Deus, quantùm hactenus nemo præſtitit, his Inſtitutionibus abſolviſti. Obiter percurri opus, totum mox & curiosè luſtraturus. Quæ vidi autem, ut candidiſſimè dicam, totum me rapuerunt: rara omnia, erudita, & melioris commatis, tan-

quàm

quàm unius hominis ætatem & laborem ſuperent. Nolo exiſtimes quidquam auribus tuis dari: verum amo, candorem profiteor: ſed ita hactenus ingenium exercui meum; ut meliori cauſsâ metallo intelligere ſaltem videar. Quod nomen verò meum aureo huic volumini inſerere voluiſti, novum ſed æternum beneficium eſt. Nónne velut in theatro legor? Ergo conatus noſtri & luſus aliquo apud te loco ſunt, & apud omnes erunt. Gaudeo verò, Hiſtoriam Inſubricam etiam à nitore aliquo ſtili (tu elegantiam non ſine laude vocas) placere. De FLAVIA DOMITILLA quid dicam? Dolent aliqui à me devirginatam eſſe: in tota tamen ſcriptione non niſi caſtimoniam profeſſus ſum. Genealogiam *PVTEANORVM* magis deinceps amabo, ſi CALENIOS tuos, ſtirpem ſanè honeſtam & egregiam, inter tot ſimul affines recenſebo. Non deſinam urgere meos, partim Venlonæ, partim Ruræmundæ, ut ſedulò inveſtigent. Commentarios tuos de Lingua Latina, & Originum libros cùm videbo, tanquàm ad novum Litterarum lumen exiliam. Tu ſic agas omnia, ne valetudinem nimiâ intenſione debilites; vitam jam malis, quàm famam extendere. Hæc jam magna eſt; creſcet tamen, ſi illam produxeris. Votum meum eſt, ut te videam &

 complectar.

complectar. Vale igitur, & vive, & me amare perge. Incomparabili Viro Danieli Heinsio officioſiſſimam per te ſalutem dico. Clariſſimo item Barlaeo, cujus muſam, quia te laudavit, magis etiam veneror. Iterum vale cum dilectiſſima conjuge & liberis. Lovanii, in Arce, ix. Kal. Decemb. ∞. ıↄ c. xxx.

EPISTOLA XII.

Brugas.

LAMBERTO VOSSIO, *V. C.*

CÆLO originem ducis Clariſſime Vir; quia quæ ſcribis, divina, & ſic æterna ſunt, nomenque ſimul Belgarum attollunt. Ignoſce, ſi cùm adeſſes nuper, ſummum ingenium tuum ſatis veneratus non ſum: neſcivi profectò, tam familiarem te Appollini eſſe, & tam ſuavi majeſtate Muſæ Belgicæ plectrum movere. Sepiùs jam legi, imò & domeſticis meis prælégi, non modò ὁδοιπορικὸν virgini, ſed πανηγυρικὸν Præſuli à te conſcriptum. Quæ itineris amœnitas! Quæ laudis jucunditas! Du-

tas! Ducis per montana Virginem & mutatâ naturæ facie, facis, ut cautes & ſaxa non niſi Flores ac deliciæ videantur: evehis ad aſtra Præſulem, & jam viventem inter nomina immortalium collocas. Sic Duci Virgo debuit, quæ utero ferebat Deum: ſic Præſul evehi, qui mente Virginem, & totum complexus eſt Deum. Intellexiſti, quia plenus Numine quid eſſet ducere, quid eſſet evehere. Aliudne dicam? Jam dixi: cœlo originem ducis: quæ ſcribis, divina, & ſic æterna ſunt. Hortari ideo audeo, ut ſcribas; orare ut me tuum ames. Vale Lovanii, in Arce, VIII. Kal. Feb. ∞. IↃC. XXXI.

EPISTOLA XIII.

Venlonam.

WILHELMO RHENANO,

Medico & Philologo.

AN tu ignotus Clariſſime & Expertiſſime Vir Κὶ ἐπιςάμενι περὶ παίδων, iſtâ & doctrinâ & humanitate? Non potuit utramque ſilere fama, tua licèt modeſtia texerit.

Clariſſimum dico, quia Expertiſſimus es, ſed Homerico elogio, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Talem quemadmodùm ego ſcio (à Filio, & in Filio) utinam Patria mea agnoſcat! Plures ſi Puteani ſint, unum æſtimare RHENANUM velint. Si quid exemplo poſſum, te amo & colo: ſi quid commendatione, adhortabor Venlonenſes meos, ut virum cœlo ſibi delapſum complectantur. Quid bonâ valetudine aut majus aut melius eſt? Dei donum eſt, qui Optimus Maximus appellatur: tu manus Dei, qui quod optimum & maximum eſt, civibus meis, imò viſceribus meis largiris: qui doces & oſtendis, cum bona valetudine bonam mentem conjungendam eſſe, ut vera homini ſanitas obtingat. Si corporis, etiam animi morbi ſunt; ſed neſciunt plerique, etiam ſapientiam medicinam eſſe: neſciunt ſe, cùm integri ac robuſti ſunt, vel maximè interdum ægrotare. Ægrotant quoque, qui ignorant, quàm in Urbe ac Republica neceſſarius Medicus ſit; quàm rarum ſit, RHENANUM invenire. Te Venlonenſes habent, & negligant! Lumen habent, niſi agnoſcant, cœci ſunt. Non patiar profectò has in Patria mea tenebras. Agam ipſe, agam per Amicos meos Propinquoſque, ut quantùm fortaſſis mea deſpici poſſint ſtudia, quæ elegantiam habent;

tua ſuſpiciant, quæ ſalutem exhibent. Si nec ſic voti compos ero, aures animoſque pulſabo Principum, qui te gaudebunt à Civitate mea neglectum eſſe. Quid addam? Te nunc & ore alloqui & oculis videre cupio, tanquàm nec ſatis dicam animo, nec cernam: te, inquam, complecti in hac Arce cupio, quam beare aureis litteris voluiſti. Veni, cum Filiis meis, ſi fieri poteſt: putabunt illi ſe cum parente ſuo proficiſci; ego alterum me ſuſcipiam. Veni, in Arce hac Palladis de rebus tuis, quas nunc meas appello, conſilium capiemus. Vale, & à te Civitas mea valeat.

Οὐκ ἔστιν ὑγείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ.

Lovanii in Arce, XIV. Kal. Maii, CIↃ. IↃC. XXXI.

Calente calamo, & magis affectu.

EPISTOLA

EPISTOLA XIV.

Bruxellam.

SAXONI à FINIA *V.N.*

Regi Catholico in Conſilio Status, & Arcano à Secretis.

NOvam veteris amicitiæ noſtræ teſſeram hos Hiſtoriæ Inſubricæ libros eſſe cupio, quibus IRRUPTIONES BARBARORUM IN ITALIAM, partim Narrando, partim Explicando complexus ſum, Scriptor, & ſimul Interpres. Ut auguſtius opus fieret, Optimo Potentiſſimoque Regi noſtro dedicatum eſt; &, non ita pridem in Hiſpaniam ab Excellentiſſimo Marchione de AYTONA miſſum, benignos tantæ Majeſtatis oculos invênit. Magno Comiti-Ducis placuit, & à Sidere ad Solem tranferri facilè fuit. Tuum nunc ſive animum candore in me pronum, ſive ingenium tam prudentiâ quàm eruditione inſtructum reſpicerem, exemplar tibi tam Amico debebam. Sed bella quoque mittendi occaſio erat; ad te MICHAEL FLO-

Florentius Langrenus, ille tuus ibat; ille functionis Regiæ titulo Mathematicus, inter decora ſæculi jure deinceps meritoque nominandus. O virum! O ingenium viri! Hactenus terræ cœlique contemplationi inhærens, induſtriâ & ſolertiâ conſecutus eſt, σὺν θεῷ ut feliciſſimus eſſet; inveniret, quod tota retrò Mathematicorum ſchola nequicquam quæſivit; notaret in cœlo, quod in terrâ maximum eſſet; è terrâ, quod in cœlo huc-uſque latuit, & conſpicuum tamen fuit; Iterum, ô virum! ô ingenium viri! Non minùs probam mentem, quàm improbum ad aſtra laborem ferebat; feliciter luſtrare aſtra debuit. Terram non habendi cupiditate, ſed ſciendi, inveſtigavit & menſus eſt; propitio numine totam ingenio ſubjecit. An diſtinctiùs? Geographiæ, quæ terrarum Orbem in partes ſuas deſcribit, duæ potiſſimùm partes, ac velut manus ſunt, *LONGITUDO & LATITUDO*. Græci τὸ μῆκος τῆς γῆς, & τὸ πλάτος appellant. Dextera ut ſic dicam, Longitudo eſt, quæ tanquàm ſiniſtra & incerta hactenus fuit, imò otioſa & fallax: ſiniſtra Latitudo faciliorem ſui uſum, Stellarum beneficio præbuit. Prorſus tanquàm claudicaret ſcientia, alteroque quaſi pede deſtituta eſſet, ſummorum virorum operam detinuit ac torſit. Omnes hîc

igitur

Digitized by Google

igitur gnavi & ingenioſi fuêre; unus adiecit omnibus, quod non poſſum niſi θεῖον ὕδρον nominare. Nihil de Hiparcho, Timoſthene, Marino Tyrio, aliiſque jam dico; quantum ignorarunt, ſciendo profeſſi ſunt: Claudius Ptolemæus, cùm cæteros reprehenſum iret, claudus ipſe fuit. Mercator nuper, Ortelius, & quotquot ſecuti ſunt, novos etiam errores attulerunt. Quis quæſo Geographus fuit, & hallucinatus non eſt? Etiam qui oculis utuntur, in tenebris cæci ſunt. Sed profectò lumine opus erat, quo caligo vinceretur, imò ingenio opus erat, quod lumen eſſet, & oculos aperiret. Hic LANGRENUS eſt qui anno tandem mundi ɪↄↄ. ɪↄ. xcvɪ. Chriſti ∞. ɪↄc. xxviii. Sereniſſimæ ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ Optimæ & ſuum illuſtrantis ævum Principis auſpicio, διόρθωσιν τοῦ μήκους è nocte eruit. Belga, ſed præclariſſimâ inventione ſuâ tanquàm ubique terrarum civis, è Gelriâ noſtrâ, & nobili ac perantiquâ apud Arenacenſes ſtirpe oriundus: qui ad Matheſin quaſi à naturâ factus, omne ſemper perire tempus cenſuit, quo ſcientiæ aut virtuti non vacaret. Cibo & ſomno detraxit, quod daret ingenio; & quia maximam noctium partem vigiliis laboribuſque occupavit, hoc etiam conſecutus eſt, ut

diutiùs

diutiùs vixerit. Sed tanti erat ſcire, qùod ad omnes pertineret; è tabulis & ſphæris errorem, imò mendacium proſcribere; ſinceram mundi picturam dare. Se jam noſcent urbes ſingulæ, & vero ab aliis intervallo ſeparabunt ſe regiones ſingulæ, & non fallacibus finibus circumſcribentur. Homines ipſi, correctis ubique itinerum ſpatiis, peregrinari ſine errore poterunt; & cùm univerſum circùmibunt Orbem, partes intelligent. Magnum hoc profectò Reipublicæ beneficium eſt; ſed Auctori famam ac fortunam debet. Pro hac utrâque nunc ipſa etiam Sereniſſima Princeps ſolicita eſt, ne præmio beneficium deſtituatur. Sanè ut audivit tam ſublime arcanum, intellexit; ut intellexit, vehementer gaviſa eſt. Et quando hæc omnia? Opportunè admodùm: cùm curioſa eſſet, & collatis inter ſe tabulis Geographicis, Sereniſſimæ Reginæ Hungariæ iter examinaret; imò cùm incerta eſſet, & errorem in omnibus deprehenderet; profeſſa ultro, non niſi ab incertitudine τῆς μήκυς oriri. Itaq; judicium quoque ſuum ſolertiſſimis quaſtiunculis interponens, magis laudare *LANGRENUM*, quàm interrogare viſa eſt. Quid etiam? ut ingenii ſui, imò gaudii, non judices (his enim opùs non erat) ſed teſtes haberet, expendi rem totam à

GODEFRI-

GODEFRIDO WENDELINO, quem noſti, & à me, quem amas, in Arce hac Palladis voluit. Egimus quod juſſi ſumus, & opinionem noſtram ſolenni formulâ præſcripſimus, quam & oculis tuis velim ſubjicere. Opinionem, inquam, tam ſeveram, ut omnem penitus affectum cenſura excluſerit; tam lætam ſimul, ut non niſi laudem putes. Lætam ſeveritatem dixeris, ſeveram lætitiam. Nihil enim Amico tributum eſt, ut veritati perſolveremus omnia: & facere Amicum veritas poterat, quia ſe ipſa commendabat. Aliud reſtat, quod maximum eſt, & hinc pendet. Dabit Mari Longitudines, qui Terræ dedit: aperiet mare, quod quia diſtingui non potuit, clauſum hactenus, ut ſic loquar, fuit: caſu enim, non arte in Orientem, & Occidentem navigatum eſt. Sed nunc de Terrâ agitur, & hanc è cœlo hominibus *LANGRENUS* dividit; ingenio promeritus, quantum dare in terrâ homines queunt. Amicorum etiam indiget operâ, & Mathematicorum, qui ubique ſunt, auxilio; plus redditurus quàm accipiet: nam & Amicos ob datam operam, & Mathematicos ob auxilium latum cœlo collocabit.

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros.

Ænigmata hæc fortaſſis videantur. Sed non licet jam aut planiùs aut pleniùs. Miraberis verò,

verò, inter caligines lumina, inter nubes aſtra, inter magnarum mentium nomina *LANGRENUM* effulgere: imò miraberis, huic uni fuiſſe aciem,quâ quod in cælo omnes cernunt, ſolus tamen videret. Vivat igitur, & à Rege quibus indiget, ingenii operæque ſubſidia accipiat; novus Columbus erit, novumque non in terrâ mundum, ſed in mari imperium mundi oſtendet. Hiſpaniæ,& jam PHILIPPO debetur hæc gloria, qui FERDINANDO Rege major eſt, & totam Hiſpaniam poſſidet: debetur ISABELLÆ, quæ tanquàm altera ISABELLA animavit, erexit, juvit virum, non aliâ re parvum, quam quia divitiis deſtitutus eſt. Novo *GONZALE MENDOZA* opus ut magnus ſit: in Magno Comite-Duce (voveo) *MENDOZAM* inveniet. Volebam plura; ſed modus ſervandus eſt: pauca etiam de Amico ad Amicum plura ſunt. Vale, & nunc Hiſtoriam legere incipe, me amare perge. Lovanii, in Arce, IV. Kal. Maii. ꝏ. I Ɔ C. XXXI.

EPISTOLA.

EPISTOLA XV.

Bruxellam.

PETRO DE LA SERRE,

V. C.

TAcito hactenus affectu divinas ingenii, eloquiiíque tui dotes ſuſpexi, & admiratus ſum: nunc ecce, patefactâ ſcribendi viâ, adoro & veneror. Hic tamen cultus aliquem ſecum pudorem adfert: quia ut benigniſſimè invitarer, calente quodam laudis radio ſuffuſus ſum. Nimirum formare hominem tuo dignum amore voluiſti; aut amare quem famæ mendacium majorem fortaſſis fecerit. Quicquid ſit, venio, & in amplexum tuum ruo. Novum amicum, ſi infra judicii cenſuram deprehendes, affectu ſublevabis. Magnus ero, quia benevolentiâ tuâ fruar: felix ero, quia ſine impedimento deinceps clariſſimæ famæ tuæ, ingenii obſequia impendam. Epigramma hoc velut auſpicium ſit: tenue illud quidem & ſimplex; ut quantùm Muſa mea Suadæ tuæ cedat ipſe profitear. Quanti enim

enim pretii, quantaque lucis AFFECTUS illi SANCTI, & AMORES SACRI! Aurum video, & æs appono: vinum guſto, & aquam miſceo. Parcat mihi ſplendor tuus, frigida tellus mea non niſi ſequioris metalli venam alit: & parcat calor tuus, Puteus non poteſt niſi ſimplicem naturæ laticem dare. Hoc ſatis eſt, oſtendet hoc metallum, & hic latex me tuum eſſe, affectu, obſequio, cultu. Lovanii, in Arce Prid. Non. Sextil. ∞. IↃC. XXXI.

EPISTOLA XVI.

Lugdunum Batavorum.

JOANNI CABELIAVIO,

I. V. D.

FILII nomine immenſas tibi gratias, mi *CABELIAVI* ſcribo, cùm non minùs ipſe debeam. Miſiſti munus, quod quia ingenii & ſtili, æternum eſt, & jam *PVTEANOS* vetat mori. Tantum profectò nulli Principes donant: tantum nemo poteſt accipere, niſi totus obligetur. Et quæ igitur incredibilis hæc

tua humanitas eſt? Quaſi ſatis patrem non amares, etiam in filium extendis ardentem affectum tuum: aut potiùs amas filium, ut patrem videaris colere: amoris enim jam modum exceſſiſti. Sed te jam colet filius, aut in me pius non erit: tuum etiam nomen aliquo ingenii munere mox veneraturus. Sanè ubi redierit (Venlonam enim domeſtici negotii cauſsâ profectus eſt) Faxo uberiùs obligationem noſtram profiteatur. Ita vale, me ama, & parciùs mea æſtima. Neſcio enim an Epiſtolæ illæ meæ in publicam à te lucem productæ, lucem ſuſtineant. Lovanii, in Arce, III. Kal. Septemb. CIↃ IↃC. XXXI.

EPISTOLA

EPISTOLA XVII.

Gandavum.

LUDOVICO VISCHERO

V. C.

SUave & ornatum litteris ingenium tuum, candidiſſime Vischere, ita me nuper, cùm adeſſes, cepit; ut frequenter de te loquar, ſemper cogitem. Cœpiſti filio meo familiaris eſſe, & humanitas fuit: beneficia in eum conferre, ut quanti patrem faceres, ſeriò commonſtrares. Scilicet placere Puteano pulchrum cenſuiſti; ut quanti amares optima ſtudia, alii quoque ſcirent. Sed hic amor peritiam indicat. Quia enim doctus es, doctrinam primo loco habes. Rectè vivis, ut oſtendas præcipuum doctrinę fructum morum innocentiam & integritatem eſſe. Sic quia tuus es, magnus es: & quicquid alii deſiderant, non appetendo poſſides. An majorem velis dignitatem, quàm quæ

felicitate continetur? Hæc ne Regibus quidem conceſſa eſt. Rex eſt, qui in ſe imperium habet: qui, ut omnia dicam. tuos mores & vitam exprimet. Junge tibi filium meum, ut te imitetur; & perge amare filium meum, ut omnia tibi debeam. Tuo exemplo ſuavis ipſe erit, & ornare litteris ingenium pariter cupiet. Vale. Lovanii, in Arce, Eidibus Januarii. ∞. I Ɔ C. XXXII.

EPISTOLA XVIII.

Biſontinum.

PETRO PETREMANDO

Patricio & Conſulari Biſontino.

PArentum cura & ſimul voluptas liberi ſunt: atque ipſa adeò ſolicitudo ſuavitatem habet. Uterque id experimur: ego in meis, qui alibi quoque, partim ſtudiis, partim militiæ mancipati: tu in CLAUDIO PETREMANDO tuo feliciſſimæ indolis & induſtriæ adoleſcente, qui profectò oſtendit ad Virtutem

tem, Doctrinam, Elegantiam ſe natum & educatum eſſe. Ita hîc agit, tanquàm in oculis tuis verſetur: dignus profectò parentis affectu, noſtro elogio. Quemadmodùm ſeriò mihi à CHIFFLETIIS Fratribus verè Optimis commendatus eſt: ita avidiſſimè eum amplexus ſum, & juſſi inter familiares meos eſſe. De ratione ſtudiorum, & imprimis Eloquentiæ non ſemel egimus: quam non minùs vindicare ſibi ſtudet, quàm ego vindicandum eſſe ſoleam publicè privatimque admonere. Ut igitur in palæſtra quoque Bonæ Mentis exerceatur, & compendio ad pulcherrimum mentis cultum properet, directione meâ ſedulò adnitar. Juris ſtudia cum laude tractavit hactenus; feliciùs etiam, quia ornamenta æſtimavit. Ornant litteræ leges, eloquentia litteras. Faciet verò Palæſtra mea, ut qui Leges ſibi propoſuit, facundiſſimè eas & in ſchola cum ætatis laude explicet, & in Republica mox cum familiæ gloria tueatur. Ita ſanè cura tua non niſi voluptas erit; tota in ſuavitatem ſolicitudo convertetur. Lovanii, in Arce, VII. Kal. April. ∞. IↃC. XXXII.

Digitized by Google

EPISTOLA XIX.

Dordrechtum.

JOANNI BEVERWYCKIO,

Medico & Philologo.

QUæ iſta tua, ô novum doctrinæ delicium, in amando humanitas, in ſcribendo elegantia & σιμνότης? Non tam epiſtolam, quàm imaginem divini animi ingeniique mittis, colore pulchram, affectu vivam, in qua totus ipſe ſpiras. Verecundiùs, ne quid diſſimulem, laudes meas legi, ſive amoris vitio, ſive quòd nimiùm aliorum ſermonibus tribueres, exorbitantes. Non ut multa & magna ſciam, ſed ut recta agam, laboro: quæ optima & præſtantiſſima ſcientia eſt. Stilum & facundiam colo, ne inter barbaros ſim; benevolentiam autem bonorum ubique, & doctorum merear. Vitam meam ſi conſideras, privata eſt, ſi & ſtudia, omnibus impenduntur. Cùm alios doceo, id imprimis curæ eſt, ut diſcam ante omnes: magis etiam exemplo, quàm ſermone ad honeſtatem Auditores meos ducam. Inter hoſce

hoſce ille etiam fuit, quem nominas, poſt carminis amœnitatem, Hiſtoriæ majeſtatem amplexus. Excitari ſcriptione meâ Ciſalpinâ & Inſubricâ potuit; ut ad res patrias ſtilo ornandas accederet, & pulchro ſpecimine Belgarum non deſiderio tantùm, ſed & conamina ſtimularet. Tuum video, laudo, & promotum eſſe cupio; ſic jam novo nexu tuus. Meus enim es: & uti mei, quibus opem ingenii impendes. Mei, educationis jure, tanquàm civis, non quidem natus, ſed factus ſim; & Affinitatis vinculo, tanquàm Urbi, in qua eruditionis florem hauſi, etiam abſens reddar. Sed tu aggredere deſtinatum & nunquam ſatis laudandum opus; & ad vitam mortuos revoca, ut ſemper ipſe vivas. Quam hîc pius, tam clarus eris; quam facundus, tam claros Dordrechtanos facies. Vale Vir Magne, & à mea meiſq; ſalve. Lovanii, in Arce ſubitò cùm Cognatus hic tuus ſe profecturum indicaſſet. XIII. Kal. Maii. ∞. I Ɔ C. XXXII.

EPISTOLA XX.

Amſtelodamum.

DIONYSIO VOSSIO,

Gerardi Ioan. Filio.

QUIDNI verò,ut Optimum Clariſſimumque Parentem ſubleves, in te partem velis officiorum & negotiorum trasferri? Id pietas exigit, & jam doctrina tua permittit. Tãquàm ab ipſo acceperim litteras, tuas legi; quo affectu, eâ elegantiâ exaratas. Sed non poterat VOSSII filius totum non Parentem exprimere; bonus Optimum, doctus Clariſſimum. Ut bonus es, amare perge; ut doctus, ſcribere: facies affectu, ut tuus ſim, quemadmodùm me ſuum Parens habet: Elegantiâ, ut tanquàm foveatur amor, novas ſemper delicias accepturus ſim. De Oratione quid dicam? Luculentior eſſe non potuit, totam Hiſtoriæ utilitatem Latinè & facundè complexa. Felices Amſtelodamenſes, qui quam ego legi, præſentes audiverunt! Virum habent, cujus nullo ſatis præmio ingenium æſtiment; ego Ami-

cum,

cum, quem inter primos colo, Optimum Clariſſimumq́ue profiteor. Lovanii, in Arce, v Nonas majas. ꝏ. I Ↄ C. XXXII.

EPISTOLA XXI.

Duacum.

JOANNI FERRARIO,

Anteceſſori.

SI minùs ætatem & auctoritatem tuam venerer, quàm doctrinam & prudentiam colam; quo potiſſimùm ſplendeat jubare Gymnaſium Duacenſe ignorare videar. A ferro nomen, ab auro ingenium eſt: quicquid in utroque metallo laudabile, exprimis: ætatem & auctoritatem ſine rubigine: doctrinam & prudentiam ſine ſcoria. Virum numeris omnibus abſolutum non poſſum breviùs deſcribere. Sed ego & mihi & Genero meo à clariſſimo lumine tuo aliquem concedi radium poſtulo; favorem ab auctoritate, quam humaniſſimam facies; auxilium à prudentia, quâ totam Aſtræam complexus es. Tuo potiſſimùm favore, tuoq́ue niti auxilio Gener cupit,

ut ad Juris-conſulti titulum quamprimùm e-vehatur. Commendo hoc deſiderium; quia & meum eſt: res enim utriuſque urgent, ne diutiùs ſeparemur. Cogita me gradu Socerum, affectu & officio Patrem eſſe: ſollicitum maximè, ne quid in fortunis longior abſentia turbet. Sanè ubi redierit, ad ſuos hinc ſtatim profecturus eſt; ad matrem, inquam, Dordraci ſuperſtitem; ut de vitæ deinceps inſtituendæ ratione ſtatuat. Cogita maritum eſſe, quem Juriſ-conſultum facies, & ad uxorem anhelare: implorat ipſa auctoritatem tuam, cùm reliquas miretur dotes, ut maritum recipiat; & beneficium appellabit. Vale, Lovanii: in Arce, VI. Kal. Junii. ∞. IↃC. XXXII.

EPISTOLA XXII.

Collem Aſperum.

THEDORO VANLONIO.

COmmoda hæc ſcribendi occaſio eſt, quæ ex improviſo ſe obtulit. Ecce hic è meis eſt, generoſus & ad omnem prorſus honeſtatem elegantiamque factus juvenis, & veram nobilitatem modeſtiâ innatâ ſpirans. *H. EDENSTENIUS*

DENSTENIVS cùm in viam ſe daret, litteras deferendas petiit, commendari voluit; ut quæ rara & arcana Sacer ille Collis habet, inſpicere liceret. Ego te rogo, per te A. R. Dominum Præpoſitum, & Candidiſſimum elegantiæ exemplum WATERROPIUM noſtrum, ut quod eſtis ſitis, non humani tantùm, ſed benigni. Teſſeram adjungo LINEAM hanc ἀρχιμερινὴν: licèt egregia ferentis indoles teſſeram abundè faciat. Habe tibi exemplar, habeat ſibi communis Amicus noſter: te oblecta curiosâ novitate iſtâ, & ille ſe. Aliter ſanè conſtitui Principium dierum non poteſt. Sed ad litteras tuas venio, quæ gratiſſimæ mihi fuerunt: quippe ab eo, quem ut fratrem, imò ut meipſum ſemper amaturus ſum; & cujus familiari conſuetudine felicem me exiſtimo. Antiſtitem ad vos profectum ipſe ignorabam. Sed ſubitò ivit: te in Colle illo eſſe, vel neſcivit, vel non meminerat. Poterat tamen ipſis etiam picturis moneri. Hoc nunc igitur negotium mihi curæ erit. Ubi abſolveris ad Arcem veni, & tuus eſto, ut meus quoque ſis; imò meus eſto, ut tuus ſis. Vale, & me ama. Subitò Lovanii, in Arce, Eidibus Sextil. ∞. IↃC. XXXII.

EPISTOLA XXIII.

Amſtelodamum.

GERARDO JO. VOSSIO,

Eloquentiæ Profeſſori.

QUàm familiaris ſum, C. V. tam liberè hoc ad te Scriptum mitto, de Principio νυχθημέρου in Orbe terrarum conſtituendo. Res ut nova, ita magna eſt; & lineâ tamen conſtitui poteſt. Nuſquam incipere Hebdomadem, quis unquam conſideravit? Incipere in Circulo, quem URBANIANUM appellavi, & per ipſam duxi Romam, novum pariter & magnum eſt. Ne homines invenirem, mare petii; mare, quod ab Urbe Roma quàm remotiſſimum eſſet; & ſic tamen proximè accederem. Nimirum Summi Antiſtitis auctoritate opus erat, ut terminum Orientis Occidentiſque homines acciperent, & hinc ſeptem dies numerarent. Si me amas, aut aliquid induſtriæ meæ tribuis, judicium tuum ad me perſcribe, tam liberè quoque, quàm te familiarem mihi humanitas tua, præcipuum eru-

ditionis ornamentum, facit. Lovanii, in Arce, ſubitò cùm hic tabellarius diſcederet, IX. Kal. Septemb. ∞. IↃC. XXXII.

EPISTOLA XXIV.

Duacum.

ANDREÆ HOIO,

Profeſſori Regio.

LUculentum & dignum ingenio tuo Opus Vir Clariſſime accepi, & admiratus ſum. Majus eſſe non poterat, quod UNIVERSAM HISTORIAM contineret: & te ipſo minor eras, niſi omnia ſcriberes. Sanè quantum temporis, quantumque rerum, ad CHRISTUM ab origine rerum fuit, tibi vindicaſti; novus mundi velut Architectus, quia perfectiſſimam imaginem ejus molimine propè divino complexus es; victurus apud homines, quamdiu ulla tam Sacræ quàm Profanæ Antiquitatis memoria durabit. Qui tam vaſtum inſpicient volumen, majus agnoſcent ſibi beneficium datum eſſe: quod cùm univerſos ſpectet, ſingulorum tamen eſt, & omnem Hiſtoriam

Hiſtoriam omnibus repræſentat. Ego peculiari ratione me debere tibi, quia Auctori; filio tuo optimo doctiſſimoque, quia Datori, profiteor; & munus tanquàm monile pretioſiſſimum æſtimare. Quid reddam verò, aut rependam? Hiſtoriam volebam Inſubricam meam, ſive IRRUPTIONES BARBARORUM in Italiam: verùm nullum mihi exemplar reliquum eſt: reliqua quæ apud typographum erant, præparoperi emptores diſtraxerunt. Subveniet fortaſſis Amicus aliquis, & quod jam legit opus, meæ ſinat poteſtatis eſſe, ut tuæ fiat. Interim placuiſſe tibi CIRCULUM meum gaudeo: quem uberiore ſcriptione ad THEORESES revoco; propediem velut affectûs cultûſque mei ſignum, ad te miſſurus. Diem hic unum videbis, qui omnium temporum annos continet: videbis Principium Diei, quod hactenus non fuit; & omnes dices Annos, quia elapſi ſunt, velut unum diem eſſe. Nunc pro Genero meo gratias adjungo, & ejus etiam nomine obſtrictum me Humanitati tuæ ſcribo, quam copiosè expertus eſt. Quemadmodùm illum amare voluiſti, me ama: ama ſtudia mea, quæ te minor, tuo tamen exemplo tractare audeo, & me à multorum moribus ſeparare. Vale. Lovanii, in Arce, VIII. Eid. Octob. ∞ . I Ↄ C. XXXII.

EPISTO-

EPISTOLA XXV.

Bruxellam.

CLAUDIO DAUSQUIO,

V. C.

Nuper Ortographica tua, varium & eruditum planè opus; recenter verò Terram & Aquam, id eſt miracula utriuſque elementi, & ſimul ingenii tui accepi. Epiſtola adjuncta pretium velut pretii fuit. Doctrinam tuam, an magis humanitatem venerabor? Priuſquam liberalis eras, obſtringere me potuiſti: priùs debere cœpi, quàm librum acciperem: jam in parte meum, antequàm mitteres, quia in parte nomini meo inſcriptum. Variantis Orthographiæ Viridaria quiſquis inſpiciet, affectum in me tuum æſtimabit. Ego autem quoties nomen meum lego, ad gratiam ſtimulor: & quomodò referendam! Meæ mihi paupertatis conſcius, non poſſum niſi ære teſtari animum, auro provocatus. Si doctrinâ igitur non licet, certabo humanitate, laudabo doctrinam, ut humanitatem merear. Nunc

Circu-

CIRCULUS iſte ad te venit, ſed ut cenſuram ſubeat: venit dies, ut principium ſuum finemq; in Terra tua & Aqua inveniat. Lege, examina, illuſtra: tu mihi diei dies eris, principem hodie inter Viros doctrinâ claros locum ſortitus. Vale & vive. Lovanii, in Arce, IX. Kal. Novemb. ∞. IↃC.XXXII.

EPISTOLA XXVI.

Dordrechtum.

JOANNI BEVERWYCKIO,

Medico & Philologo.

O TE bonum, & munificum! CIRCULUM miſi, reddis geminas Muſarum delicias, carmen & tuum & BARLAEI. Sed tuum me propriè ſpectat, de CIRCULO ſcribentem: tuum & hoc jam ſatis, ut pulchrum ſit; ut peccet laudibus, & affectu excuſetur. BARLAEI, ἐπινίκιον eſt, non minori ſcriptum ſpiritu, quàm animosè dignum ſe TRIUMPHO πολιορκητής veſter oſtendit. Qui ſic pugnavit, pacis meruit auctor fieri, majorem etiam victoriam reportaturus. Vides quò vota noſtra

ta noſtra pergant: ut finem bello, heu nimis longo! concordiâ imponamus. Noſter interim.. mc r publica oſſidia negliget, quæ privatim ad virtutem doctrinamque ſtudia faciunt, æſtimabit. Habes jam Generum meum, & i ó nne partem mei? Sciat ille quæſo, me à te amari. Quid apud Plinium ſit, *per Sapientiam mori*, eruditè incomparabilis Heinsius explicavit: Vir ad id natus, ut ſæculum ſuum doctiſſimum faciat. Quia nomen meum in opere adepi vo leg cupis, ubi ille ſplendebit, obſcurus non ero; quia vitam expetis, vide quæ in Genealogia Puteanaea ipſe de me ſcripſi. Hanc Baudii ad Lipsium epiſtolam adjungo: quam ùnicam nactus ſum. Vale. Lovanii in Arce, Poſtrid. Eid. Novemb. ∞. IↃC. XXXII.

Epistola XXVII.

Antverpiam.

LUDOVICO NONNIO,

V. C. & Medico.

PEr terram ſerpo, & tu me cœlo collocas? Ut morem amori gereres, in laudes

erupiſti. Quid aliud litteræ tuæ ſunt, nuper ad me miſſæ? Doctæ, elegantes, ardentes: poteram breviùs; tuæ. His litteris, & his laudibus, velut alis vehor & evehor; ut videam parvum eſſe, quicquid in terra molimur, ipſam adeò terram magnitudine carere. Junge maria, exiguus totus ille globus erit, ſi cum cœlo comparetur. CIRCVLVS quoque noſter diei exiguus eſt, quia per globum hunc ducitur: brevis dies quem quotidie finimus: obſcurus quoque, quia noctem ſecum trahit. Non potuit tamen initium ſuum dies habere, niſi CIRCVLVS ſtatueretur: non ſtatui CIRCVLVS, niſi duo in uno dies die eſſent. Quid nunc de quatuor initiis dices? Hæc ut rejicerem, THEORESIN iſtam ſcripſi, dignam quidem affectu tuo, ut legas: neſcio tamen an lectione, ut laudes. Si legeris, aliquid mihi tribui putabo; ſi laudaveris cauſſam rurſus affectui adſcribam. Vale. Lovanii in Arce, VI. Kal. Feb. ∞. IↃC. XXXI.

EPISTOLA

EPISTOLA XXVIII.

Delphos.

JACOBO CRUCIO, *V. C.*

MAgno prorſus affectu, & pari eloquio ad ſuaviſſimam amicitiæ neceſſitudinem me invitas. Durus ſim, niſi affectum æſtimem; indoctus, niſi eloquium. Tanquàm ignem miſeris, exarſi; & totum hauſi *CRUCIUM*, ut gaudio implerer. Litteris igitur cùm ſatis non viderer animum exprimere, petendum à munere ſubſidium cenſui: ut librum potiùs quàm epiſtolam mitterem, provocatus epiſtola, quæ libri pretium ſuperavit. O pectus tuum ſapientiâ plenum! O calamum, verum ſapientiæ miniſtrum ac promum! Quia Philoſophari audes, quo potiſſimùm vel ſale vel melle ſpargenda ſit oratio oſtendis; tam ſerius, quàm amœnus; tam opulentus, quàm ingenioſus.

Σοὶ δ' ἔπι μὲν μορφὴ ἐπέων ἔνι δὲ φρένες ἐσθλαί.

Sed quia laude doctus & facundus es, etiam

candorem & humanitatem profiteris; quaſi in ſcriptis meis, nec non moribus animadvertas quod ad exemplum juventutis ſit, & benevolentiâ tuâ dignum. Gaudeo igitur hunc me laborum fructum capere, quòd tibi, Clariſſimo Mercurii Palladiſque myſtæ placeam gnaro inprimis, quâ viâ ad bonam mentem bona ætas ducenda ſit, & quibus Virtutes ſeminibus ſuccreſcant. Florem in vitia degenerare, quid mirum? mollis nimiùm, & ſoluta educatio eſt; & priuſquàm litteras plerique, ventum & vanitatem induunt; doctiores tantùm, ut ampliùs noceant. Utinam qualem laudavi juventutem Belgicam, talem videamus! Utinam ſobria, ſicca, ſeria ſit, & qualem tua diſciplina format! Imò qualem aurea epiſtola tua formandam eſſe præſcribit! Huc redeo, & hanc velut facem habeo, quâ denſæ morum & morborum tenebræ diſpellantur. Sanè ut lumina iſta ſunt, obſcurari ſimul neceſſum eſt, quicquid in reſponſum adjungam. Adjungo librum, qui diem continet, & ſuo diem principio ordinat hactenus non obſervato. Quia hîc natura lucet, audebo non obſcurus eſſe; tuum verò judicium novum mihi jubar erit. Ita vale Amice nove, ſed ſemper future: de quo non aliter ſtatues, quàm ſi ſemper fuerim. Lovanii, in Arce, III. Kal. April. ∞. IↃC. XXXIII.

EPISTOLA

EPISTOLA XXIX.

VVarſaviam.

JOANNI HEIDENSTEIN SOLLESCIO,

Equiti Polono.

FEriæ iſtæ, nequaquam feriæ mihi fuerunt, curis ſcriptionibusque ſolitis interciſæ. Animus interim apud te erat, velut ipſo ſilentio loquens: imò apud te erit, quodcumque mundi latus adieris. Nunquam enim deſinam eſſe qui ſum, tuus: nunquàm tu, qui totam heroïcâ mente virtutem complexus es, bonus, benignus, doctus, facundus, generoſus eſſe deſines: à te namque, cùm luſtrabis omnia, & nomen tuum in cultiſſimis Europæ plagis illuſtrabis, nequaquam recedes. Quemadmodùm magno loco natus es, ab ipſa Pallade & Pietate educatus; parvus nunquàm & nuſquàm eris. Peregrinationis fructum felici in Patriam itinere delaturus, proximis (ita auguror) Purpuræ honoribus reſplendebis. Occurret tum quoque memoria Puteani tui, hominis hone-

nis honeſtate omnia metientis, & qui tuâ ſe fortunâ gloriâque felicem exiſtimabit: occurret memoria Arcis hujus, quæ cùm ſtudia tua aluerit, jam deinceps generoſiùs multorum ineptias deſpiciet, tuo nomine, quò ſuo ſitu excelſior. Nunc quæ dixi vota, ſcribo; ut feliciſſimis avibus proficiſcaris; ut Numine protectus, ubique tutus ſis; nullos hoſtes, nullas inſidias, nulla pericula timeas; omnia proſpera, propitia, jucunda experiaris. Sic vale, vive, & me ama. Omnes mei officioſiſſimam juſſerunt ſalutem adſcribi: ipſe quoque AUBERTUS, qui convaluit; & URBANUS, qui pergit lepidus eſſe; & de tuo jam reditu ſciſcitari cœpit. Lovanii, in Arce, adhuc tua, Poſtrid. Kal. April. ∞. ɪↄᴄ. XXXIII.

EPISTOLA XXX.

Blyenſtoniam.

JOANNI CABELIAVIO,

I. V. D.

O Suaves mihi litteræ tuæ, Candidiſſime Virorum, quæ te ſalvum poſt tot ærumnas belli

nas belli indicant! Equidem te tam caro capite ſolicitus eram, voces haſce, & ſimul ſuſpiria emittens: *VBI NVNC CABELIAVIVS MEVS?* Caſtra te Regis per Germaniam ſecutum, ex Heröe noſtro HEINSIO intellexeram: nîl ultra. Tu verò etiam cum fructu pericula habuiſti: tot jam Amicis, Viris Doctis Magniſque ſtipatus; ut de tempore & mortalitate in Patriam redux triumphare videaris. tuus jam mundus erit, cùm quieſcere incipies: tui omnes, quos ubique terrarum, affectu complexus es. Nemo tam felix diffuſo per Orbem imperio fuit: nemini tantùm fortuna tribuit, ut ab omnibus amaretur. Hæ tuæ divitiæ ſunt, hic cenſus, hoc vectigal. Tantùm autem doctrinæ tuæ & candori libenter omnes perſolvunt, tuo clariores nomine, quod velut clarum Sidus extra nubem ubique fulget. Quid dicam? Luces, & illuſtras. Sic profectò & ego tibi obſtrictus ſum: magis enim tuo in Germania affectu, quàm meo ingenio innotui. Noluiſti quem ſciebas tuum eſſe, apud alios ignorari. Gratiam dico: jam enim verè tuus ſum; quia aliorum, te conciliante, benevolentiâ tam prolixè fruor. Quid agam nunc verò, quid ſcribam, quid moliar? Circa diem occupatus ſum: cujùs initium haſtenus in Orbe terrarum deſideratum, inveni,

 conſtitui,

conſtitui, publicavi. Circulum hunc novum, & ejus Vindicias vide; imò judicium ſimul tuum interpone: Quia HEINSIO VOSSIOQUE, etiam tibi placere cupio; ut faciliori animo invidiam paucorum, & oblatrantium contemnam. Sanè ut ordine νυχθήμερον circumducatur, & dies diem alio alioq; nomine excipiat, principio opus; quod cùm unum ſit, aut eſſe debeat, hoc agit, ut omnes toto ambitu homines diem incipiant, quamvis alii aliis tardiùs, & viginti quatuor horis abſolvant. Sed malo te rem totam è libro, quàm epiſtola intelligere: atque illum adjungere audeo, quia magnus non eſt. Quæ reliqua hujus argumenti ſunt, copioſiùs & floridiùs ſcripta: propediem edentur, & ſi permittes, ſuo etiam ad te onere venient. Vale, & me amare perge: perge ſcribere, ut, quàm ames ſæpiùs intelligam. A Clariſſimo TULDENO noſtro, Viro verè aureo litteras hîc etiam habes. Lovanii in Arce, XVII. Kal. Maii. CIↃ. IↃC. XXXIII.

EPISTOLA

EPISTOLA XXXI.

Gandavum.

JULIO BUFFALINO,

Nobili Romano.

FAcilem in laudes benevolentiam eſſe, humaniſſimæ litteræ tuæ oſtendunt, quæ plura neſcio verba, an Encomia contineant. Amplector benevolentiam, laudes excludo. Magnum enim ſatis encomium erit, à te magno & nobiliſſimo, animi dotibus inſtructo amari. Prudentiam tuam ac ſapientiam in paucis illis ad me miſſis ſchedis admiratus ſum; quas cenſere velle arduum eſt: ſuo namque video pretio duellum, honore vitam ipſam expenſam eſſe. Qui in arenam deſcendit cauſſam ipſam videtur fortunæ committere, & æſtimare virtutem, quæ à caſu pendet. Vinci poteſt qui fortior eſt; vincere qui debilior. Sed niſi à pugna in gratiam uterque redeat, malè pugnatum eſt: qui vincitur & ſervatur, non infortunium, ſed beneficium æſtimabit: beneficium quam maximum eſt, quia vitæ, & quam

quam adverſarius dedit, ut amicus fieret. Ergo hic ipſe qui vincit, victo obligatur; non ut armis tantùm, ſed officiis ſuperior ſit: amet & honoret quem ſibi tanquàm ſeipſum parcendo junxit. Hæc enim vera demùm victoria eſt, humanitate non immanitate conſtat. Sed non auſim plura, ne homo minimè militaris de armorum jure diſceptare videar. Præſtaret aut nulla omnino inter Chriſtianos duella eſſe, aut nullo omnino jure cenſeri. Quicquid enim hîc definitur, aut injuſtum, aut barbarum & à lege naturæ alienum. Licebit aliquando, ſi aliquid otii nactus fuero, liberiore calamo in conſuetudinem tam immanem inſurgere, bene de Republ. & præſertim de Nobilitate mereri. Ita vale Perilluſtris Domine, & Excellentiſſimo Narſorum Duci me, filios meos, & ſtudia commenda. Lovanii, in Arce, VI. Kal. Jul. ∞ . I Ͻ C. XXXIII.

EPISTOLA XXXII.

Leodium.

FRANCONI BERDENNE, I. C.

AUreum Carmen tuum, velut aurei Sæculi omen nuper accepi. Non potuit profectò illuſtrius argumentum, non potuit diviniore eloquio celebrari. Me quoque nomen N. Clariſſimique *WOESTENRADII*, quod præfixum eſt, quaſi ſubito quodam lumine excitavit. Cultorem Summum politioris Litteraturæ vocas? Ego veneror. Ergo, uni huic pulcherrima conſecrari Ode debuit, quæ legerêtur & placeret omnibus. Nemo odiſſe pacem poteſt, niſi hôminem exuerit: nemo Muſam, niſi humanitatem. Oſtendis autem in *WOENSTENRADIO* hominem homine majorem eſſe; in hoc homine divinam humanitatem inveniri. Vale, & Circulum meum *VRBANIANUM* cum præſtantiſſimo *WOESTENRADIO* examina. Lovanii, in Arce, III. Kal. Julias. CIↃ IↃ C. XXXIII.

quam adverſarius dedit, ut amicus fieret. Ergo hic ipſe qui vincit, victo obligatur; non ut armis tantùm, ſed officiis ſuperior ſit: amet & honoret quem ſibi tanquàm ſeipſum parcendo junxit. Hæc enim vera demùm victoria eſt, humanitate non immanitate conſtat. Sed non auſim plura, ne homo minimè militaris de armorum jure diſceptare videar. Præſtaret aut nulla omnino inter Chriſtianos duella eſſe, aut nullo omnino jure cenſeri. Quicquid enim hîc definitur, aut injuſtum, aut barbarum & à lege naturæ alienum. Licebit aliquando, ſi aliquid otii nactus fuero, liberiore calamo in conſuetudinem tam immanem inſurgere, bene de Republ. & præſertim de Nobilitate mereri. Ita vale Perilluſtris Domine, & Excellentiſſimo Narſorum Duci me, filios meos, & ſtudia commenda. Lovanii, in Arce, VI. Kal. Jul. ∞. IↃC. XXXIII.

EPISTOLA XXXII.

Leodium.

FRANCONI BERDENNE,

I. C.

AUreum Carmen tuum, velut aurei Sæculi omen nuper accepi. Non potuit profectò illuſtrius argumentum, non potuit diviniore eloquio celebrari. Me quoque nomen N. Clariſſimique *WOESTENRADII*, quod præfixum eſt, quaſi ſubito quodam lumine excitavit. Cultorem Summum politioris Litteraturæ vocas? Ego veneror. Ergo, uni huic pulcherrima conſecrari Ode debuit, quæ legerētur & placeret omnibus. Nemo odiſſe pacem poteſt, niſi hōminem exuerit: nemo Muſam, niſi humanitatem. Oſtendis autem in *WOENSTENRADIO* hominem homine majorem eſſe; in hoc homine divinam humanitatem inveniri. Vale, & Circulum meum *VRBANIANVM* cum præſtantiſſimo *WOESTENRADIO* examina. Lovanii, in Arce, III. Kal. Julias. CIↃ. IↃ C. XXXIII.

EPISTOLA XXXIII.

Bruxellam.

GUIDONI FLACCHIO,

Philologo.

IN ipſo morbo meo ac dolore, ſolatio mihi elegantiſſimi verſus tui fuerunt: non ſemel lecti, ut ſæpiùs recrearer. Oblivíſci autem doloris potui, ut legerem; & apud te eſſem, qui apud me non eram. Mitiùs autem à dentibus jam habeor, quos muſa tua, omnibus numeris abſoluta, velut obſtupefecit. Tu, mi FLACCHI, Apollinem eſſe Medicum, oſtendere potuiſti: ipſe es, qui laudatum me juiſti, ut ſanares; vel ſanatum, ut laudares. Ergo aliquid faſcini Elegiæ tuæ habent, ſed boni; quia ipſæ bonæ, imò optimæ: quas ſi corrigere velim, deteriores faciam. Fortaſſis in ipſis vis iſta laudibus fuit, tam eleganter & facundè compoſitis; ut ſubmittere verecundiam coactus ſim. Si hoc verò amoris tui vitium eſt, magis etiam ingenium cogor admirari. Patior jam quoque laudes meas, quia

tuæ

tuæ fiunt: tanquàm vaſculum impleas, quicquid redundat aquæ, ad te redit: ſic etiam tuum eſt, quicquid non redit. Sed quando te videbo & complectar? Tu Patrem Optimum meo nomine: & P. WALLAEO epiſtolam iſtam trade. Vale, & me ſemper ama: creſce verò ut magis ames. Lovanii, in Arce, Prid. Eid. Sextil. ∞. I Ↄ C. XXXIII.

EPISTOLA XXXIV.

Bruxellam.

JOANNI WAUERIO,

Ærarii Regii Aſſeſſori.

REdditæ mihi à COSMANNO litteræ tuæ, triſtes triſti. Sed omnium hic dolor eſt, qui in Optima Principe Virtutem ipſam ſe intelligunt amiſiſſe. Epitaphium legam libenter, ut lacrymis irrigem. Sic verò quam tu ſcribis, putabo mortuam non eſſe. Altera Hermathenæ imago, prorſus ad genium meum, quia à ligno. Celebrare eam velim, & in numerum eorum venire, qui elegantias tuas ſæculo noſtro ad exemplum poſteritatis illuxiſſe jugi

iſſe jugi ſcriptione lætabuntur. Sed vindicabo me mihi, ut quemadmodùm volo, poſſim. Nondum enim ſerenum habeo animum, corpore quoque per hiemis incommoda affecto. Valere videor, & ægrotanti ſimilis ſum, quia & Senectututis mala approperant. Prid. Non. Novemb. annum L I X. ætatis ingreſſus ſum, cùm publicè terminos vitæ humanæ explicarem. Me & alios monere potui, nihil noſtrum niſi præſens eſſe: id autem puncto magis quàm calculo, momento, quàm tempore contineri. Nihil propius ad nihil accedit. Menſibus ſuis, diebus, horis anni tranſcurrunt: in horis ipſis quærendum adhuc quod noſtrum ſit, & de quo ſtatuere liceat. Nemo futurum ſuum dixerit; præteritum amiſit: ſed quod computamus aut præteritum, aut futurum eſt, totum verò alienum. Hoc tempus eſt; & tamen hoc unum eſt, quod noſtrum ſolemus arbitrari. Hem quàm puſillum, quod vitam dicimus, quo hominem cenſemus, cujus cauſsâ facimus omnia! Non vivere profectò præſtat, quàm non honeſtè mori; imò mori bonum, ſi honeſtè vixeris: id enim eſt non mori. Sed quo digredior? Epiſtolæ modus ſit: ſapientia autem majori animo & eloquio tractanda eſt. Vale, & candorem meum ama. Lovanii, in Arce, Eidibus Decemb. ∞. I Ↄ C. X X X I I I.

EPISTOL

EPISTOLA XXXV.

Bruxellam.

FRANCISCO DE PAZ,

Archiatro Regio.

PAtris appellatione dignus es, Vir Optime, qui unus ſuperare partes Amici potuiſti. Et quid mirum igitur Amœnitatem iſtam de UNO inſcriptam tibi eſſe? Sanè quantum uni deberem, teſtari apud omnes volui: Liber, quia magnus non eſt, non moleſtus fortaſſis itineris, quod inſtat, comes erit. Videbor autem ipſe ſic quoque abeuntem ſequi, in curru aut hoſpitiis colloqui, viæ moleſtias quadam velut amœnitate ſublevare. Si in anteceſſum inſpexeris quoque, magis velim affectum meum, quàm ingenium reſpicias. Non enim tam feliciter ſcribere potui, quàm ardenter amavi: ſcribendo tamen oſtendere conatus ſum, quantùm amarem; imò quanti facerem Virum unum, quem omnes jure laudaverint. Accipe igitur benignâ manu munuſculum iſtud, velut animi obſtricti pignus: ſi nec hoc ſatis,

ſatis, animum ipſum, quia verè tuum, habe, & me filii nomine dignum. Vale. Lovanii. in Arce, VII. Kal. Feb. ∞. I Ↄ C. XXXIV.

EPISTOLA XXXVI.

Bruxellam.

MARTINO DE MUNARREZ,

Marchioni de Aytona à Secretis.

NEſcio quomodò brevi nuper colloquio in amorem tui raptus ſim, Virtutem ipſam, & Humanitatem ſpirantis. Quia de litteris ſermò fuit, cenſui familiariùs me poſſe agere, & ad libertatem ſcriptionis progredi, tanquàm adhuc loquar. Ita verò ſtatuo pluris ingenium hominis, quàm linguam eſſe, & hanc illius cauſâ. Hinc in brutis nulla oratio, quia ratio nulla eſt, quæ ingenium facit. Inter Linguas Latina eminet; ſed uſu magis quàm præceptis diſcenda, quemadmodùm Romanis ipſis olim familiaris erat. Uſui verò ſi præcepta accedant, non loqui tantùm, ſed eruditè licebit. Rurſus præcepta, niſi pauca ſint, deſinunt præcepta eſſe: onera enim & impe-

& impedimenta ſiunt. Maximum à libris & lectione auxilium eſt Qui potiſſimùm legendi ſint, & quomodo, in Methodo litterarum aliquando ſcripſi. Incipienti Ciceronem, & Terentium ſuadeam: qui duo etiam provectiorem occupent. Deinceps ad Poëtas & Hiſtoricos veniendum: non omnes tamen, ſed ſelectos. Virgilium Horatius comitetur. Cæſarem Curtius. Si & Philoſophus placet, quidquid aſtimare poſſis, Seneca ſuppeditabit. Peculiari tamen ratione ſtilum, præſertim epiſtolarem, quo omnia ferè hodie peraguntur, Plinius Secundus acuet. Ecce quàm paucis opùs, ut quis Latinus, & elegans evadat: imò quàm paucis, ut Bibliotheca conſtituatur, & in promptu ſemper ſit. Fructus ſanè ſtudiorum compendio quæritur, Curioſitas ſumptuoſa eſt. Sed fortaſſis hæc jam nimis familiariter. Quia breve nuper colloquium fuit, ſcribendi non poſſum auſpicium capere, niſi temperem. Si permittet humanitas tua, operam dabo, ut aptiore argumento affectum meum, cultum, obſequium aperiam. Vale Vir Optime, & omnium amore digne. Lovanii, in Arce, Nonis Martiis. ∞. I Ↄ C. XXXIV.

EPISTOLA XXXVII.

Bruxellam.

EIDEM.

EPiſtolam tuam non poſſum niſi auream appellare, plenam ingenii & amoris gemmis. Lucem video, ignem ſentio, & totus exardeſco. Quid reponam, niſi ut me profitear eſſe tuum. Sanè quàm eleganter ſcribis, tam humaniter diligis; ut neſciam, an plus oblecter elegantiâ, an humanitate obſtringar. Familiaritatem igitur meam ſcribendi deprehendo gravem non fuiſſe: quâ deinceps utar, ut frequentiâ ſuppleam, quod præſtantiâ non attingo. Nunc etiam amici mei cauſsâ humanitati tuæ prorſus divinæ debeo, ob litteras liberi in hoſtium Provincias itineris impetratas. Quàm me amares, oſtendere voluiſti: nos interim intelligimus, quo affectu & cultu dignus ſis. Utrumque jam filius hic meus à me offeret, & ſe quoq; Benignitati tuæ mancipabit. Fritlandii Cataſtrophen libenter legi. Sic Deus impios punit: ſic conſervat ſuos. Conſervet porrò, & te mihi, qui Tuus ſum.

ſum. Lovanii, in Arce, IX. Kalendas Maias. ∞. IↃC. XXXIV.

EPISTOLA XXXVIII.

Romam.

GUILIELMO MOONSIO,

Electoris Colonienſis Agenti.

NOn potuit mecum de Paludibus Pontinis Vir Candidiſſimus NICOLAUS WITTIUS agere, niſi virtutes tuas, & ex iis nata benevolentiæ officia deprædicaret. Etiam, ut ſcriberem adhortatus eſt, quamvis meâ ſponte geſtirem. Pulchrum cenſui ejus ambire amicitiam, cujus facilis omnibus pateret humanitas, ei deferre obſequia, quem omnes admirantur & colunt. Quia bona ſtudia tracto, non videor alienus eſſe; quia virtutes amo, peculiari ad te affectu trahor. Ipſæ jam Paludes me ſinunt in colloquium venire, heroicum planè opus, ſi à noſtro homines cælo Latium æſtiment. Nihil Belgis hodie arduum eſt, qui tanquàm ἀμφίβιοι, utrumque in poteſtate ſua elementum habent; ut ter-

ram cogant aquis cedere, terræ aquas. Maria ſiccant, quidni Paludes? Animis opùs eſt, vires invenientur. Fieri enim & noſtro poterit ſæculo, quod aliis factum eſt; ſuppleri, quod neglectũ. Vide nunc quæſo, quæ WITTIUS noſter ſcribit; & me velis in partem curarum venire; ut hoc etiam nexu tuus ſim, ſeu virtutes tuas familiariùs colam. Tanti erat negotium Paludum amplecti, ut TUUS fierem. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Junii. CIↃ.IↃC.XXXIV.

EPISTOLA XXXIX.

Bruxellam.

JOANNI WOVERIO,

Ærarii Regii Aſſeſſori.

TAnquàm non venerit, abit COSMANUS noſter: & nonnè hæc omnis mortalium vita eſt, ad finem feſtinatio? In via omnes ſumus, & ipſa vita nonniſi via eſt. Nolo repetere, quæ Epigrammate aliquando delineavi. Quando? Ante annos aliquot, qui tot jam dies videntur, & ſomnio ſimiles ſunt. Exſtant verſus, &

ſus, & me quotidie monent, uno vitæ ſpatium die contineri. Ecce ad annum veni ſexageſimum, & heri natus ſum: ad mortem ibo, tanquàm à cunis ad ſepulchrum transferar. O exordium! ô exodium! Et utrum triſtius? Ita me Deus, ut res omnes ſunt, mori quàm naſci malis: redire in portum, quàm exire; quia per undas itur. Si dixeris, brevem vitam non eſſe, moleſta eſt: inter curas miſeriasque ſi mora eſt, bis infelix eris. De Elogio Magni Caroli Emmanuelis quid dicam? Theſaurum Thesaurus ſcripſit, tu videris gemmas addere. Vale & me ama, Elegantiarum vindex: vale & vive: ita demum vitam æſtimabo. Lovanii, in Arce, III. Kal. Junii. ∞. IↃC. XXXIV.

EPISTOLA XL.

Leodium.

ANTONIO ABUNDANTIO,

V. C.

ABundànt in te omnia, mi Abundanti, quæ ad virtutem & elegantiam faciunt,

& verâ laude digna ſunt. Rivulos video, & in me derivari; in aridum fateor, ſed ut imbuerer; avidum nihilominus, & tanquàm magis æſtuarem. Ut ſcribis, calidæ aquæ tuæ ſunt, thermæ ſunt, & puram atque copioſam affectûs auram ſpirant. Legi delicias partim Italicas tuas, partim Latinas, & ab admiratione ad ſilentium veni. Italicis delinitus, Latinis excitatus, tardè ſed parcè reſponſum promo, non ut excuſem errorem meum, ſed ut amorem aperiam. Novâ igitur humanitate tuâ opùs, ne inhumanus ipſe fuiſſe videar. Solâ enim dilatatione peccatum eſt, quam tu candoris fiduciam appelles, rogo. Sine munuſculo litteras mittere, inhumanum cenſui, ne ab exemplo tuo abirem. Jam ſanctioris cenſuræ auctoritate lucem publicam hæc IDEA mea impetravit: quæ cùm ad te eat, ſcribere ſimul audeo, & me tuum velut pignore profiteri. Perge amare, quem obſtringere voluiſti: ego virtuti tuæ & elegantiæ cultum ſemper delaturus ſum, ut Tuus ſim: ita enim etiam inter triſtia gaudio quodam ABUNDABO. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Sextil. ∞. I Ɔ C. XXXIV.

EPISTOLA

EPISTOLA XLI.

Bruxellam.

ELIÆ DE BIE

Equiti, S. Petri ad Wolvam Flumen Toparchæ, nunc Ærarii Belgici Sanctioris Conſiliario & Priori Graphiario, Archivorumq; ibidem Regiorum Gazo-Philaci.

SCribere diſtuli, ut litteras tuas, non litteris tantùm, ſed & libello æſtimarem. Illic in promptu eſſe poterant: hic exſpectandus erat, ut compingeretur. Vides igitur MEDICAEUM meum; vides affectum, qui MEDICAEO major eſt; vides meipſum, qui niſi TUUS ſim, ne meus quidem eſſe, volo. Singularis indoles tua, Gratiis & Elegantiis florida, ac virtuti matura, me totum pridem rapuit: tanquàm gaudeam me litteras & libros tractare, quia tibi ſic amanti litteras, placui. Nunc igitur tanquàm abſens nequaquam videar, familiaris eſſe incipiam, & ſtudia mea omnia tecum

communicare. Non omnes fortaſſis, quos ſuſpicor amicos eſſe, amici ſunt. Tu unus, tu verus mihi eris cum paucis, ut plures poſſim negligere. Tu, quem amas, oſtende tuum eſſe; imò quem oſtendis tuum eſſe ama, ut felix ſim: felix autem ero, quia tuus. Lovanii, in Arce VI. Kal. Sextil. ∞. IↃC. XXXIV.

EPISTOLA XLII.

AntVerpiam.

JOANNI CNOBBARO,

Typographo.

POST Hiſtoriam utramque, prodire in lucem Epiſtolę geſtiunt, ſed tanquàm placituræ. Aliæ enim ſcriptiones ad alios aliosque ſpectant: hęc ad omnes. Alię meum dumtaxat nomen habent: hæ & meum & eorum ad quos miſſæ. Quid ſi verò binas uno volumine Centurias complectamur? Omnino verò auctor ſim, ne hoc tempore à minori hac forma abeamus. Aliquando majeſtas, nunc commoditas placeat. Ut omnia dicam, Epiſtolæ ſunt. Quomodo? Circumferri volunt, ad manum, & in manu eſſe, ubique legi. Hæc vera ἐγχειρίδια ſunt, aut nulla ſunt: ſi onera fiunt,

ſunt, quaſi colloquia eſſe definunt. Quicumque ſcribunt epiſtolam complicando & obſignando formam indicant: aliâ nolunt tabellarii impediri. Etenim niſi manu magnitudo claudatur, modum excedit, & moleſta eſt. Denuo ſcribi, denuo ferri, denuo tradi epiſtolas cogita, & hîc maximè Mercurium coli, Vale. Lovanii, in Arce, IV. Kalendas Sextil. ∞. IↃC. XXXIV.

EPISTOLA XLIII.

Bruxellam.

JOANNI WOVERIO,

Ærarii Regii Aſſeſſori.

UT ad me redeam, ut cogitem caducum ac vile eſſe quicquid fallaci manu fortuna circumducit, elegantiſſimæ litteræ tuæ faciunt; imò robur illud animi tui facit, quod in omni vita tua admiror. Hoc mihi nunc exemplo tuo agendum eſt, ut vitæ par ſim, quam viam eſſe, in horti limine ſcripſeram; imò ut tibi placeam, qui rectiſſimè è Sapientiæ adytis depromis, PAUCIS ESSE PHILOSO-

 PHANDUM.

PHANDUM. Quot impedimenta vitæ, quę ornamenta appellari ſolent! Studia etiam cum modo habenda ſunt, ne blandiantur magis, quàm proſint; oblectent, quàm juvent. Ego magis magiſque à floribus ad fructum venire audeo, ut quæ dicere pulchrè poſſim, agam; & tuâ ſic etiam philoſophantis dignior benevolentiâ evadam. Mens bona mihi ſolidiſſima amicitiæ teſſera videtur; quæ aut ſoror Sapientiæ eſt, aut ex hac naſcitur. Coli hæc poteſt, quamvis occupatus ſis; & vel nunc maximè, quia materiam virtutis invenit. Sed Principis & Reipubl. cauſsâ occupari, etiam Sapientiæ pars eſt: quod eſt, non ſibi, ſed multis vivere: pręſcribere etiam multis, quomodò vivendum ſit. Non omnibus etiam placere poteſt, qui vivit omnibus: minùs, qui ſibi. Ego quantùm publicè conor vivere, tantùm privatim impedior: meam in familia Rempublicam habeo. Noſti onera mea, ſed hiſce ſtipendia ſupponam, quę ex ratione Regia adhuc debentur. Hęc igitur & vitæ & ſtudiorum meorum ſpes ſupereſt: firmior jam, quia in bonas artes novi Principis genius proclivis eſt. Eum hîc adire, ac venerari verborum officio potui, Marchione noſtro ducente: potui offerre Palladem meam, & quicquid ea habet: offerre Arcem, quę & ipſa Pallas eſt, partemque

que Urbis hujus & Academię facit. Scripſi nunc *PVRPVRAM AVSTRIACAM* ἱεροβασιλικὴν, quâ ejuſdem Principis Cardinalis imaginem reprę ſentavi. Amœnior fui, imò animoſior, & tanquàm ab ipſa Purpura aliquid ſplendoris caperem, ſurrexi. Quid ſi & ſepiam in Purpuram commutemus? Erubeſcant typi, & magis fortaſſis oculis Sereniſſimi Principis allubeſcent: induãt Purpuram Cadmi filiæ, & verecundæ erunt. Rubrica nónne in uſu olim fuit? Minium quoque, ut cum Plinio dicam, *in voluminum ſcriptura uſurpatum eſt.* Tituli pulchritudinem cur non & liber recipiat? Novum erit, fateor, ſed pulchrum: faciliùs autem legi ſolet, quod novum. Hiſtoriam nuper Barbaricam dedi: ecce Medicæam. Bina exemplaria ſunt, ut alterum Illmo LUPO ZAPATAE Comiti Walthero à me donatum eſſe velis. Veneror hunc Virum, imò hunc elegantiarum Genium, & me felicem amore ejus pronuncio. Venio ad epiſtolam Illuſtriſſimi RAMIREZII, ut meam hanc abſolvam. In illa ipſam eruditionem exoſculatus ſum, & jam magis ROGERIUM tuum amo, quem & meum appello, quia exſcripſit. Veniat verò, & mancipatum ſibi animum ingeniumque meum habeat: quem tibi eſſe, animo magis, quàm manu

manu ſcribo. Lovanii, in arce, VIII. Kal. Decemb. ∞.IↃC.XXXIV.

EPISTOLA XLIV.

Mediolanum.

CAROLO SEPTALIO, I. C.

TOto te animo, mi CAROLE, & fratrem tuum Senatorem, nova & ſurgentia Septalianæ familiæ decora complector. Quem vos Patrem, & ego, ut ſic dicam, habui: ſi non ſanguine, affectu proximus ſum: prorſus veſter; omnibus amicitiæ officiis oſtenſurus, me proximum, me veſtrum eſſe. Epiſtola tua, Humaniſſime Vir, amanti novus velut ignis fuit, ardens ipſa, & elegantiis ſuis lucens. Patris videre genium viſus ſum; imò ſcripturam, eâdem quaſi manu expreſſam. Crede mihi, ut vidi, ut legi, ingemui. Hinc rurſus ſolatium, quòd viderem, totum mihi LUDOVICUM meum non periiſſe. CAROLUS jam LUDOVICUS eſt, Septalius eſt: Senator verò ipsâ quoque Artis Medicæ Profeſſione

Profeſſione Doctiſſimum Parentem repræſentat. Sed te quoniam Nobiliſſimum Juriſconſultorum in Urbe Patria Collegium adſcivit, ad Civiles jubet honores adſpirare. Occupa indolem virtutemque tuam, & Majorum gloriæ par eris: auge amorem mei, aut meorum, quò major deinceps eris. Meorum dico, ut grandi me, octo filiorum, ſex filiarum familiâ florere ſcias, & in ea nomen SEPTALII ſanctum haberi. Nunc ſub novo hoc Principe, Purpurato, Auſtriaco, à quo aurea tempora expectamus, PURPURAM ſcripſi AUSTRIACAM ἱεροβασιλικὴν, quæ jam ſub prælo eſt, ac propediem ad te mittetur. Sed quantum munus Commentarii illi Paterni! Veniant, veniant, & me beent. Aurum accipiam: conabor tamen æs reddere; agnoſcere, inquam, quanti Optimum & Communem, ut dixi, Parentem, æternitate digniſſimum faciam. Vale, cum fratre, & ſcribere perge, ſed priorem epiſtolam tuam, genium meum teſtor, non accepi. O tempora! ô Bella! Quando mutanda, auferenda? Lovanii, in arce, v. Eid. Februarii. ∞. I Ↄ C.XXXV.

EPISTOLA

EPISTOLA XLV.

Bruxellam.

MARTINO DAXPE,

Secretario Regio.

STudia quæ tracto, mentis & ingenii ſunt: ſed niſi & tuæ gloriæ mancipentur, dubio adhuc lumine famam provocant. Inſinuare igitur me audeo, partim hâc Purpurâ, Sereniſſimo Principi nuper oblatâ; partim ſermone, quem de affectu meo cultuque ingenioſiſſimus LANGRENUS, apud humanitatem tuam inſtituit, vir Regis noſtri & Orbis terrarum liberalitate dignus. Hunc fovere, id verò erit, generi humano benefacere. Oſtendet ille, novo ornari ingenio mundum utrumque poſſe: quod non multò minùs eſt, quàm novum cum COLUMBO invenire. Sed nunc munuſculùm iſtud meum, Purpuræ titulo gratum habe: à meo animo, à manu verò ſtrenui & generoſi Viri D. CHRISTOPHORI CONTRERAE, quem ego, tanquàm animum meum amo. Præfecturam ambit turmæ, quam

mæ, quam nunc regit: ambit, ut omnia dicam, quam meretur. Fave ambienti, ſic beneficium ipſe capiam. Ego ſcribendo, ille agendo contendemus, uter majorem gratiam referat. Vale, & me ama, qui ſtudia mea gloriæ tuæ mancipo. Lovanii, in Arce Regia, Kalendis April. ∞. IↃC.XXXV.

EPISTOLA XLVI.

Leodium.

FRANCONI BERDENNIO,

I. C.

RESponſum diſtuli, mi BERDENNI, ut cum ingenii munuſculo, quod parabam, ad te mitteretur. Viliores enim litteræ erant, quàm ut his ſolis operam tam benignam à te mihi datam agnoſcerem. Nunc ne longior mora eſſet, ſcribere volui: ſed adhuc debere quod cũ interuſurio propediem perſolvetur. Illuſtriſſimus LUPUS WALTHERUS ZAPATA S. R. I. Comes, Bruxellæ jam agit magna Aulæ pars; Litterarum tamen ac Sapientiæ ſtudiis occupatus. Doctior an modeſtior ſit, dubites,

dubites; ſplendidior, an familiarior: cujus cùm fortunam ſuſpicias, amare ingenium malis. Suaviſſimis ſanè moribus præditus eſt, & ad omnem humanitatem mitigatis: floridus ætate, & totâ vitæ maturitate fœcundus. Non fruſtrà igitur DORMALIUS noſter eum colit: non fruſtrà eum tibi amicum ipſe cupias. Satis iſta. Liber, quem mittam, de Obſidione Lovanienſi conſcriptus, uberiorem me faciet. Vale, Lovanii, in Arce, Pridie Nonas Februar ↀ. I Ↄ C. XXXVI.

EPISTOLA XLVII.

Romam.

JACOBO ACCARISIO, *V. C.*

SAlutem & gratiam unâ hac epiſtolâ dico: & nónne debeo? Alteram affectu, alteram beneficio provocas: ſi tamen à beneficio ſeparari affectus poteſt. Litteras tuas ſi reſpicio, ecce amor; ſi adjunctum Epigramma, amor & ornor. Hoc illud munus eſt, ὃ. κάλλιϛον καὶ προσφιλέϛατον, quo totum me tibi, & quicquid ingenio

ingenio molior, obſtringis. Laudas URBANUM Pontificem Optimum Maximum, qui omni laude major eſt: ſed quia meum ſimul uſurpas nomen, attollis, & illuſtre reddis. Eâ laudas ingenii felicitate, ut numeris omnibus abſolutiſſimum encomium ſit; id eſt, ipſo URBANO dignum. Jam legeram, quæ novus hic Petrarcha, novusque Casa, imò utroque & blandior, & ſublimior Barberinus Lyrâ Etruſcâ canit: imò adhuc lego, & fateri cogor, novâ linguâ, novâ Poëſi, novo numine, novum hunc, non Vatem, ſed Apollinem eſſe; non Muſarum, ſed Virtutum. Tuum nunc Apolline iſto ingenium felix eſt, quo meum tanquàm felix, & bonorum doctorumque favori idoneum, complecteris. Facis profectò ſcribendo, ut amare auſim, atque adeò ad familiaritatem progredi: facis amando, ut niſi ad te ſcribam, ſilere ubiq; videar. Accedit luculenta iſta tua ad Verſus Genethliacos Diſputatio, quo rerũ pondere, eo verborum nitore, de tota vaticinii vanitate triumphans. Cælo dignus es, qui Cælum mendacio liberas: qui, ut totam tibi naturam, ſapientiam, veritatem vindicares; dogmata profligaſti, quæ mõſtra veriùs appellantur; quæ nec blandiri poſſunt, niſi ut decipiant. Mihi ſanè tam docta, imò tam facun-

da, quibus ad naturæ, ſapientiæ, veritatis myſtam publicè explicandum acceſſiſti, auſpicia mirificè placuerunt. Sed ſi adſim, ſic docentem audire quotidie velim; ſic doctior, facundiorque quotidie fieri; ſic malorum, quibus hîc immerſi ſumus, animoſiùs obliviſci. Nunc langueo certè ac jaceo, fortunâ dejectus temporum, quam & bonæ artes ſequuntur. Ut tamen attollam caput, oculoſque ad Maximum URBANUM Solem meum, ad Eminentiſſimum *BENTIVOLUM* Sidus meum referam; pulcherrimo exemplo novus amicus facis. Utrique placeam; & felix rurſus, meuſq; ero; ſemper tuus. Vale, Lovanii, in Arce, III. Nonas Julii. ꝏ. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA XLVIII.

Corbiam.

LAZARO BONVICINIO,

Iudici Caſtrenſi.

QUàm ſuaviter me affecerint litteræ tuæ, imò deliciæ tuæ, nullis ſatis verbis exprimam. Tam eleganter, imò tam amanter te ſcri-

te ſcribere? Miror equidem hunc in Caſtris ac Militia cultum eſſe; è Caſtris ac Militia ſic me amari glorior. Acceſſit ad litteras Commentariolus CANTELMIANUS, quem ego cælo mihi delapſum arbitror. Pulcher eſt, plenus eſt, (quàmvis ſuccinctus) & ſummo judicio conſcriptus. Satis iſte, ut te Virum ſciam, & inter lumina ingeniorum eſſe: ſatis, ut ſciam, quid ſit Virorum Summo & incomparabili *CANTELMO* placere. Facere quæ admiranda ſunt, Heros ille potuit: tu ſcribere, tanquàm in partem laudis venias. Sed quantum humanitati tuæ debeo, qui & me adſciſcis! Perge, ſi me amas, imò ſi *CANTELMUM* amas notare, quæ ille pergit agere. quia perfectæ hæc omnia virtutis ſunt, in exemplum producenda. Producenda communi utriuſque noſtrûm operâ, calamo, nomine, tanquàm in idem opus conſpiremus. *CANTELMUS* nobis titulus ſit; imò Heroicæ gloriæ typus ſit, qui totum Virtutum præconium recipiet. Novum igitur, quem promittis de rebus tanti Heröis libellum expectabo: te, ut fratrem amaturus ſemper: quo vocabulo totum affectum exprimo. Vale, & mea deinceps ſtudia, tua puta, & me ἐκ τῆς καρδίας tuum. Lovanii, in Arce, III. Non. Septem. ꝏ. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA XLIX.

Bruxellam.

CAROLO SCHOTTE, EQ.

Sanctioris Ærarii Aſſeſſori.

CAlamum ceperam, ſacræ confarreationis μνῆμα ſcripturus, & ecce quâdam veluti remorâ ſubitò detentus ſum, quia nomen ipſamque incomparabilis Conjugis conditionem ignorabam. Rogare igitur audeo, ut Epitaphium ei in D. GUDILAE poſitum, ad me mittas, quod tanquàm exemplum inſpiciam. Non poſſum profectò ingenium hîc tibi meum probare, niſi tuum & ſequar, &, ſi fas, exprimam. Tuum enim erit, quicquid ſcribam: à tuo manabit Amore, quicquid ad amœnitatem verborum; à tuo Dolore, quicquid ad pretium argumenti faciet. Legetur Sponſa, quæ infelix puerpera fuit. Puerpera, quæ ſemper eſſe Sponſa debuit, vel hanc etiam ob cauſam, quia tua erat. Tua in Thalamo, qui merus amor erat: tua in tumulo, qui finire aut extinguere Amorem non

potuit,

potuit, ipſo inprimis Dolore inflammatum. Sic igitur, quia tua eſſe cœpit, monumento digna eſt: quia tua eſſe deſiit, quæ nunquam deſinit, non uno fuit. Vale, vive, & Litterarum patrocinium ſuſcipe, quæ ſuo paſſim fulcro deſtituuntur. Lovanii, in Arce, iv. Eid. Novemb. ∞. I Ɔ C. X X X V I.

EPISTOLA L.

Bruxellam.

OTTONI VENIO, I. C.

GRaves hactenus & ſuffuſos neſcio quo humore oculos meos recreare elegantiſſimis Militaris Peritiæ Symbolis potuiſti. Siccine te ſcribere! Cùm cæcus quodammodò eſſem, in tuo hoc libro variæ doctrinę lumina, priſcæq; eruditionis imagines invêni. E Grçcia ac Latio confers delicias, & ſic ingenio, ſtiloque armatus philoſopharis. Hoc ipſum pugnâre eſt, docere Principes artem, quâ feliciter pugnent: oſtendere fortunam, quæ Virtuti obnoxia ſit: victoriam, quæ ſalutem includat.

includat. Placebit ſanè hic liber, & hic labor omnibus,& jam famâ dignus. Ego verò tanti utrumque facio,ut niſi libro quoque ac labore gratus ſim, non videar boni nomen viri tueri. Sed adhuc in ære tuo ſum , incivilis, niſi CIVILEM ad me humaniſſimè miſſum agnoſcam. Opportunum verò id mihi munus erat, quia in Tacito bellum Batavorum adversùs Romanos explicabam. Ut moram merear, ab amore tuo impetrabo , miſſurus deinceps quicquid Pallas mea procudet. Sic nunc vale, & me tuum cenſe. Lovanii, in Arce, pridie Eid. Decemb. ∞. I Ɔ C. XXXVI.

EPISTOLA LI.

Ariam.

THOMÆ D'AVALOS,

Turmæ Equitum Præfecto.

CORrigenda hæc jam fama eſt, quæ non ſemel inter mortuos me collocavit, tanquàm vitæ invideret. Sed hoc mendacio pectori tuo dolorem obtruſum eſſe, vehementer doleo; non ſine mixtura tamen gaudii, quòd videam

videam & verè intelligam, quàm ſincerè amer; è luctu affectum, ex affectu luctum. Nunc igitur ad te redi; ego enim non abii. Amare perge, ut ego vivere; cùm ſine tuo affectu videri poſſim ſpiritu carere. Ille nominis tui ſplendor, ſuaviſſimum mihi lumen eſt: illam virtutem tuam, meam quaſi vitam appello: te noviſſe, obſervâſſe, coluiſſe, immortalitas quædam erit. Ergo attollam ingenium meum dum vivo, tuo nomine, & quæ mente molior, fato opponam. Interim homines ſumus, & paucorum annorum circulo velut circumſcripti, ut ad majora vitæ ſpatia non niſi morte transferamur. An igitur illa, cùm veniet, adeò gravis ac timenda erit? Hoc agam potiùs, ut lætus triſtem excipiam: hoc etiam, ut vitam ordiar, ubi multi ponunt. Aliquando vera fama erit: *PVTEANVS*, ille Bonæ Mentis cultor, naturæ ſatisfecit. Vera tamen & mendax erit; vivet, quàmvis cum corpore divortium faciet. Tu verò vive, vale, & nos viſe. Sic verò vivam, ipſe ſic valebo, verè & æternùm Tuus. Lovanii, in Arce, Prid. Eid. Decemb. ∞. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA LII.

Lovanii.

PETRO STOCMANNO,

I.V.D. & Profeſſori Regio.

PLUTUM mitto, cæcum adhuc, niſi plenum lumen Commentarii iſti adferant, & tanquàm oculi ſint. Tua eruditio ſtatuet. Sed juventus noſtra cæcum videat, & oculata fiet: Te audiat, & amare, quam nondum vidit, Græcæ eruditionis pulchritudinem incipiet; imò Te audiat, & ſic aliquando loqui audebit, ſic inter doctos eminere. Scientiarum duo, ut ſic dicam, oculi ſunt: alter Latinus, alter Græcus; neceſſarius uterque, ſi plenum ubique lumen velis invenire. Duo etiam homini niſi pedes ſint, quomodò gradum aut greſſum formet? Duæ niſi manus, quomodò perfectâ omnino arte opus moliatur? Hominem hîc voco, qui doctus, aut nomen aliquod in doctrinis ſperat. Linguam ipſam linguam non puto, niſi gemina ſaltem fiat; niſi bilinguis, qui ſolidè & loqui cum Antiquis

volet,

volet. Bilingues certè Ennius Brutios appellavit, quòd (Feſti verba ſunt) *& Oſcè & Græcè loqui ſoliti ſunt.* Brutii hi fuerunt: ſed an fortaſſis Bruti hodie, qui, ſi Dîs placet, Latini ſunt, & omnes Atticæ Sapientiæ Gratias aſpernantur? Faciunt mehercle unam ex omnibus linguam (doctis, inquam) perperam uſurpando, ut nullam habeant. Sed quò rapior? Mittere PLUTUM volui, & ad laudem Linguæ ſurrexi. Quid agas? Ut genium meum ſcias, mutus cæcum comitari non potui. Ita ſalve, & hunc famulum meum commendatum tibi habe: qui tuus eſſe deſiderat. Bonus, fidus, diligens eſt, & bonâ conditione dignus. Cur igitur meus non maneat? Quia homine mihi opùs, qui hortum ſimul colat; famuli & ruſtici officium conjungat. Meus hic autem, ſi tuus fiat, meus adhuc videbitur. Iterum ſalve, & erectæ Bibliothecæ gloriâ fruere. In Arce, x. Kal. Julii. ∞. IↃC. XXXVII.

EPISTOLA LIII.

Montes S. Vinoci.

CAROLO SCHOTTE, *EQ.*

Ærarii Regii Aſſeſſori.

MAjori certè affectu, quàm calamo, amœniores hoſce verſiculos ſcripſi. Majore Muſâ Virtutes tuæ, Nobiliſſimæque Sponſæ dignæ erant. Loquuntur omnes, an canant neſcio, & tanquàm victæ argumento, laconiſſant. Hæc brevitas à mea quoque ætate ac ſterilitate eſt, qui in ſenium progreſſus, non niſi fatum expecto. Extuli tamen aliquam ingenii quaſi debilem ſcintillam; ut inter illuſtres Nuptiarum tuarum faces, non omnino obſcurus eſſem; pars pompæ, quæ lætis ſolet acclamationibus ornari. Quia & munuſcula interveniebant, xenium nuperum in Epithalamium commutavi: novum, cùm tibi offeretur; iterum novum, quia jam ſimul Sponſæ. Tuæ benevolentiæ erit, ut quemadmodùm ſemel placui, iterum placeam: ſemel uni, jam utrique, tanquàm uni. Ita me, ita ſtudia

ita ſtudia mea utrique, tanquàm uni commendo. Valete ac vivite; imò ne errem, vale, vive. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Majas, ipſo Nuptiarum die. ∞. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA LIV.

Bruxellam.

CORNELIO UFFELIO, *I. C.*

A Nomine mihi notus es, ab ingenio admirandus. Ego quem novi, & admiror, familiarem eſſe cupio; imò, ſi fas, jubeo; & eâdem cum ſuaviſſimo meo BLITTERSWYCKIO teſſerâ cenſeri. Nónne ejuſdem Curiæ, Muſæ, ac Genii es? Ipſa tibi vindicas eruditione ſtudia, quæ tracto: humanitate me, & ſtudia, quia tracto; quia præſtitiſſe videor, quæ benevolentiâ tuâ digna ſunt, & quæ magna bono affectu facis. In his deinceps edendis, pluris mihi judicium tuum, quàm auxilium erit. Illud, quod pauci inter Amicos docti, inter doctos Amici: hoc, quod multi, ridentis Fortunæ filii, depromant. Ampliùs, ita me Deus, erit, mente, quàm manu favere. Sed ego &

ego & mente & manu velim, ut aurea tua & fratris monumenta in lucem veniant. Aurea, quia tua, & fratris. Ita ſanè & magis nôſſe nomen tuum & admirari ingenium videar. Vale, &, ſi familiaritatem meam amas, filii mei excuſa. Lovanii, in Arce, VII. Kalen. Maii, CIↃ. IↃ C. XXXVIII.

EPISTOLA LV.

Bruxellam.

GUILIELMO BLITTERSWYCKIO,

Vrbis Bruxellenſis Patricio & Senatori.

ACcepi verò mi BLITTERSWYCKI, imaginem meam, & ingenioſam HORIQUII manum admiratus ſum: ſcribentis an pingentis? Hîc profectò calamus præſtat, quod alibi penicillus: hîc lineæ, quod alibi colores. Lineæ? Imò linea, quam verè unam & omnem poſſum appellare; verè æternam, ſine principio, ſine fine. A linea olim pictura cœpit: redit ad lineam, & picturam ſuperat. Hoc tandē HORIQUIUS potuit, unâ complexus lineâ

lineâ, complexus Mæandro, ut Antiqui appellabant, quicquid omnes pingunt: unâ longitudine, admirando flexu circumductâ, omne latitudinis ſpatium. In compendio ambages cerno, in ambagibus compendium. Gyri ſunt, vertigines, euripi, & à novo Dædalo labyrinthus novâ arte exſtructus. Error ubique eſt, & certum tamen veſtigium: quod cùm ſequor, & elabi ſtudeo, verè me incluſum deprehendo. Si philoſophari velim, hic me ipſum video, & velut μενόγραμμον repræſentari. Caput, linea eſt; crines & barba, linea: corpus & veſtis, linea: quæ nunc recto ſimplicique ſulco extēditur, nunc ſinuoſo ductu recurrit; nunc in ſpiras volvitur, nunc in circulos rotundatur, nunc in annulos & quaſi cincinnos calamiſtratur, nunc in angulos acuitur, nunc emblemate, tanquàm opus teſſellatum, vermiculatur: ad ſummam, nihil niſi lineam invenio; & laborioſâ tamen arte ornatus incedo: nihil niſi lineam, & lineamenta impleta ſunt. Non jam miror Margaritarum lineam, à bonis Scriptoribus nominari; noſter expreſſit: formidinem in ferarum venatione dici, ſive δεῖμα πολύχοον: noſter non colorum, ſed flexuum varietate ipſos homines capit. Ultimam rerum lineam, mortem eſſe; noſter ſuam, & ſic primam eſſe vitam

vitam oſtendit. Sed quot litteris, verbis, lineis opùs, ut unam & Horiquianam deſcribam? Ille me ornare voluit, ille ſuum facere, ille vivere lineâ ſuâ; quam gratiam referam? Dum rationes excutio, dum vires meas expendo, agnoſcam ſaltem totam unâ lineâ, & ab uno HORIQUIO naturam, non adumbrari, & diſtingui; non colorari & oſtendi. Sed quemadmodùm, te hortante, ſpecimen artis ſuæ in imagine mea dedit; ita urge, ſi me amas, ut tranſlatâ ad bis duodecim Cæſares, partim Romanos, partim Auſtriacos, lineari induſtriâ, publicum miraculi auſpicium ab Auguſtiſſimo argumento deſumat. Digni hi ante omnes ſunt, qui ab uno HORIQUIO, velut novo Philocle Ægyptio, vel Cleanthe Corinthio, primis linearis picturæ inventoribus, lineëntur: dignus HORIQUIUS, qui hos omnes unus lineët. Vale mi BLITTERSWYCKI, & quia me amas, elegantias omnes amare perge; quia elegantias, me. Lovanii, in Arce, Eidibus Maii. ꝏ. I Ↄ C. XXXVIII.

EPISTOLA

EPISTOLA LVI.

Cordubam.

HIERONYMO ANTONIO DE MEDINILLA ET PORRES,

Equiti Ordinis Iacobæi, Prætori Cordubenſi.

EPiſtola mihi tua inſtar gemmæ fuit, liber inſtar theſauri. Illa candidiſſimo eruditionis igne humanitatis lumen explicat; hic famæ. Geminum ſic quidem hauſi radium: ut amarem, quem plures admirantur; ut admirarer, quem nemo ſatis amet. Prætereo quicquid in vulgi oculis magnum eſt, fortunas, titulos, poteſtatem: me certè æternæ animi ingeniique tui dotes exſtimulant rapiuntque, in epiſtola privatim, in libro publicè expreſſæ. Quid enim? Privatim, ut omnia dicam, humanus es; publicè ad divinitatem accedis. Ipſæ, ita me Deus, tibi Philologiæ Gratiæ, Elegantiæque dirigere calamum videntur: ipſa à tuo Genio pretium UTOPIA ſapit: Hiſpana facta eſt. Dixerim, aut tuam jam eſſe,

jam eſſe, quæ MORI eſt; aut Magnum MORUM, qui te Interprete idioma mutavit. Nimirum, Sophus jam, non MORUS eſt; quia Hiſpanus. Hæc dignitas, imò hæc præſtantia linguæ hodie gentis Dominæ: addo: hæc tua, qui ſingulari ingenio, induſtriâ, eruditione ad novum ſplendorem, linguam attollis. Donum igitur & ab Auctore, & ab Interprete, ſecundo velut Auctore luculentum eſt; mihi verò inter librorum Κειμήλια meritò habendum. De meis ſcriptis, in quibus magno te verſari affectu ſignificas, quid pronunciem dubito. Sed quoniam hæc etiam humanitas tua eſt, amare hominem, quem videris laudare poſſe; majoris faciam, laudari ab uno, cui vel innotuiſſe glorioſum ſit; quàm noſci à non uno, qui nocendi occaſionem ab ipſa interdum familiaritate capiet. Nónne aurea tua verba ſunt? Multi noti, non Amici; imò Inimici, quia ignoti minùs nocivi fuiſſent. UNUM omnes eſſe, non omnes UNUM, aliquando ſcripſi: te, quia magnum, bonum, doctum video, verè UNUM & Amicum veneror: tu me, quia Amici dignaris titulo, Tuum appellabis; hac in imagine, quam adjungo expreſſum. Lovanii, in Arce Regia, Prid. Eid. Sextil. ∞. I Ↄ C. XXXVIII.

EPISTOLA

EPISTOLA LVII.

Bruxellam.

FRANCISCO DONGELBERGIO,

Equiti, Toparchæ de Herlair, Zillebeke, Raſegem, &c. Conſuli Bruxellenſi.

IN votis mihi hactenus fuit, Nobiliſſime Vir, familiaritatis tuæ Genium, aliquo ingenii officio ſive illicio tentare. Sanè, quemadmodùm Virtutem Prudentiamque in hoc præſertim nobiliſſimo Conſulatu tuo fulgentem, tacito hactenus affectu colui, ſplendorem & dignitatem libero affatu venerarer. Commoda ſatis à Septemviro BLITTERSWYCKIO, nobili Candoris Belgici exemplo, & ſingulari Amico meo, nata occaſio. Is enim, cùm de Septem Primis, Patriciiſq; Urbis Bruxellenſis Familiis Epigrammate ornandis, me per litteras commonefaceret; atque hâc te inprimis Muſæ operâ delectatum iri;

arripui lætus calamum, & Tetraſtichon (neſcio an typis dignum) compoſui. Qualecumque eſt, mitto, ſed ejus dandum manu, qui facilitatem meam æſtimare voluit, omnem in ſe peccati culpam tranſlaturus. Plures quidem verſus majeſtas poſcebat argumenti; ſed anguſtia excludebat tabellæ, ab artifice jam paratæ, & lemniſcis ſuis circumſcriptæ. Itaque & ſtili conatus coarctandus fuit; ut quod copiâ & facundiâ non explicarem, brevitate & acumine comprehēderem; cùm faciliùs tamen ſit plura, quàm arguta dicere; laxare verbis argumentum, quàm coërcere. Ego, ſi non ingenium, animum certè teſtatus ſum: non tam ſolicitus, ut laudem, quàm benevolentiam invenirem; quæ ſecura ad familiaritatem via eſt. Leges igitur breve hoc & tenue à triviali moneta carmen, ut cenſeas; cenſebis, ut corrigas & emendes. Quia leges, affectui tuo gratiam debiturus ſum; quia cenſebis, auctoritati; quia corriges, doctrinæ & humanitati. Vale. Lovanii, in Arce, Eid. Jun. ∞. IↃC. XXXIX.

IN SEPTEM PRIMAS PATRITIASQUE
URBIS BRUXELLÆ
FAMILIAS,
EPIGRAMMA.

Curia Septenis celebrans ſua Stemmata Signis,
Ad Septem

Ad Septem ſurgit Sidera Stemmatibus:
Hinc Septemq́;-Viri, & Tribuũ Septena poteſtas,
Hinc Septem fulgent Stemmata Sideribus.

EPISTOLA LVIII.

Londinum.

JOANNI SELDENO,

V. C.

NUperam hanc meãm de Biſſexto Diſſertationem, & audaci ſatis titulo Faculam, ad te mitto, ne obſcurus accedam; plenos quamvis radios inventurus, qui à divino ingenio tuo, velut aſtro emanant. Simpliciter dicam, venerari doctrinam tuam volui, ut humanitatem provocarem. Non poteſt enim, qui doctus eſt, humanus non eſſe: Tu verò, quia humanus eris, doctrinam mihi, vel ejus auxilium imperties. Mihi, imò Amico meo, tanquàm alteri mihi, Viro Optimo, Studioſiſſimo, & Antiquitatibus Britanniæ illuſtrandis nato.

dis nato. Hibernus eſt, quòd COLGANI nomen indicat: & tuus eſſe cupit, ut Hibernum ſe eſſe, magis magisque oſtendat. Quid deſideret verò, petat, flagitet, ſuis ipſe litteris exprimit. Beneficium, inquam, quod ſine damno datur, & ab Ennio commendatur:

Vt homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit,
Vt nihilo minùs ipſi luceat, cùm illi accenderit.

Sed nunc COLGANUM audi, & me puta loqui. Quicquid etiam ejus cauſsâ feceris, ego accipiam: ſed illum, me, & univerſam ſimul Litterarum Rempublicam tibi obſtringes. Vale, &, qui poſt Deos Syros, Marmoraque Arendelliana illuſtrata, Regi tuo Mare vindicaſti, Terram tibi, Cælumque famâ occupa. Sic animo te complector veneror que. Lovanii, in Arce, v. Kal. Jul. ∞. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA

EPISTOLA LIX.

Brugas.

OLIVARIO VREDIO,

I. C.

SIgilla Comitum Flandriæ nuper accepi, pulchrum, utile, & curioſum Opus; arduum quoque, magnificum, æternum. Quâdiu aut res Belgarum, aut Principes erunt, legetur, imò æſtimabitur hic liber: in libro amabile tuum & à Pace nomen. Fundamenta video Hiſtoriæ noſtræ; vel hanc ipſam, doctè & ingeniosè ad Sigilla, & Inſcriptiones Diplomatum relatam. Nemo deinceps ſive Flandriæ, ſive aliarum velut Sororum Provinciarum memoriam poſteris tradet, qui tua veſtigia ſecuturus non ſit: te enim jam duce, errare non poterit: te ſequi, glorioſum quoque erit. In aliis hominum privatorum ſchedis ac ſcriptis variæ ſæpe hallucinationes ſunt: Principum diplomata non fallunt: Principum enim ſunt, qui ſuâ luce omnem mendacii caliginem excludunt. Suâ, & jam ſimul tuâ, inde

 derivatâ

derivatâ: quâ dum totam *PHILIPPI MAGNI* majeſtatem colligis, illuſtrare omnia videris. Reliquum eſt, ut, quia hanc laboris tui velut promulſidem eſſe voluiſti, reliqua etiam in plenum nobis convivium fercula depromas. Quid diſſimulo? Allecti his deliciis, uberiores & jam paratas dapes flagitamus. Earum ſpem quoque *VOSSIVS* tuus fecit, Eruditorum ille, quantùm ubique eſt, verè corculum: tam liberalis quoque, ut altero me exemplari donatum eſſe voluerit. Bis obſtringi, ſuave fuit: & ut munus munuſculo æſtimem, Centuriam hanc Epiſtolarum mitto. Tuam, ut ſic dicam, tibi; quia te Centurionē habet. Vale, &, ſi rurſus contingat Bruxellam ire, viam extende, & nos viſe. Lovanii, in Arce, die Intercalari. ∞. I Ɔ C. X L.

EPISTOLA LX.

Coloniam.

JOANNI COESFELDIO, *V. C.*

MOrtalium omnium ingratiſſimus ſim, niſi tam inſignem & effuſam in Generum meum

rum meum LAZARUM BONVICINIUM benevolentiam venerer. Oſtendis profectò, quid ſit, Amícum fuiſſe, qui ſic eſſe pergis. Totus, ut ſoles, & poſt tot jam annos Adoleſcentiæ noſtræ memoriam æſtimans. Non potuit, ut video, ſenio tepeſcere bonus & honeſtus ille calor, ille candor: qui, ut floruit, in te olim; ita ad virtutis fructum venit, & beneficii fœcundus eſt. Quid enim? Puteanum in Bonvicinio obſtringere tibi voluiſti, Socerum in Genero; ut bis jam Amicus eſſes, & totum me poſſideres. Ecce nexum: fateor me tuum eſſe, ſi unquam fui: fore ſemper, ut ſi quid tempore peccatum, ſimul diluam. Hanc dexteram, quâ ſcribo, in fidem offero: vide tantùm, quâ ratione gratus ſim. Ita enim jam verè amari me intelligam, ſi permittes gratum eſſe. Vale, & qui meâ cauſsâ Bonvicinium meum complexus es, me Bonvicinii, tuum conſtanter habe. Lovanii, in Arce, IV. Eid. Junii. CIↃ. IↃC. XL.

EPISTOLA

G 5

EPISTOLA LXI.

Dordrechtum.

CORNELIO SOMERENO,

Medico & Senatori Dordrechtano.

SIngulari tu quidem affectu C. V. munus nuper meum, ſingulari nunc etiam munere meum viciſſim affectum æſtimare voluiſti; tam animum mihi tuum pandens, quo ſuaviter excitor, quàm ingenium, quo vehementer delector. Quemadmodùm Doctus, ita Bonus es, & aliquid etiam Urbis in me tuæ agnoſcis, quæ felici quodam Genio ad virtutem Cives ſuos & elegantiam ſolet conformare. Ego, quia hîc aliquando educatus, amare utramque illam cœpi: ſi quid adultior profecerim, à tam laudabili ſemine enatum CORNELIO REKENARIO (& libet meminiſſe) hanc ἐυπαιδευβίαν debeo, eruditiſſimæ diligentiæ Viro; qui Scholam tum temporis Dordrechtanam cum IOACHIMO ORIDRYO regebat. Condiſcipulum tum quoque inter alios GERARD. IO. VOSSIUM, ad Clariſſi-

ad Clariſſimam poſtea jugi induſtriâ famam provectum, habui; ut Amicum deinceps ac familiarem haberem. Sic conſeneſcere uterque potuimus: ſic iiſdem, ut cum Quinctiliano dicam, ſtudiis, tanquàm ſacris initiati, religioſam quodammodò neceſſitudinē conſervare. Quemadmodùm verò ad primæ memoriam ætatis, & apud vos actæ, libenter redeo: ita & ad Urbis illius, quæ cùm Bataviæ prima ſit, majeſtatem ſuam non deſinit Muſarum contubernio fovere. Ipſa adhuc Curia veſtra, illa mens ac ratio populi, vis & vita legum, quid niſi Sapientiæ Orcheſtra quædam eſt, Virtutis ſimul & Honoris Theatrum? Qui Viri! Quæ lumina! Cùm verò in hoc nunc quoq; cœtu ac Senatu *BEVEROVICIOS* ac *SOMERENOS* videam, divinos planè Utriuſque Apollinis Myſtas, perfectam puto cæli imaginem civibus exhiberi. Aliquid hîc etiam aliquando cogi nubis aut nebulæ potuiſſe, humanum eſt, & ad commendationem ſubſecutæ Serenitatis facit. Nihil tam firmum aut ſanum, quod non vitio alicui aut morbo obnoxium eſt. Ipſa terra, quæ pondere ſuo vel quieſcit, vel certè credita eſt quieſcere, nónne ante menſes aliquot circumquaque contremuit? Redire ad quietem concordiamque, ſecuritatis incrementum eſt. Tempeſti-

 va quoque

va quoque remedia ſaluberrima ſunt: ab ipſis verò Moderatoribus, tanquàm Reipublicæ Medicis adhibenda. Quid attinet plura? Liber ille tuus de Unitate, quæcumque hîc dici poſſunt, docet: parvus, ut omnia complectatur; aureus planè, & pulcherrimis ſententiis, velut gemmis, reſplendens. De uno verò quàm diverſo nuper argumento ego ſcripſerim, hîc nunc vides. Si tanti eſt, percurre. Tuum ego viciſſim affectum novo hoc quaſi munere; tuum, quod Unitatem continet, munus confirmato affectu æſtimare volui. Vale. Lovanii, in Arce, XVI, Kal. Septemb. ∞. IↃC. XL.

EPISTOLA LXII.

Gandavum.

JEREMIÆ PIERSSENÆO,

Conſiliario Regio.

AMicitiæ fiduciâ Nobilis Ampliſſimeque Vir omnia & debemus & poſſumus. Nihil enim niſi quod honeſtum eſt illa præcipit, & communia ſic omnia facit. Filium igitur

ANT.

Ant. Ignatium Benedictum quidni commendares? Et talem filium, in quo profectò magnam tui partem complexus ſum, meliorem illam, in quam, quâ æternus es, & nunc etiam inter vivos ac morituros emines. Tuus eſt, & hoc ſatis, ut laudare illum poſſim, amare debeam. An addo? Meus eſt, & hoc ſatis, ut euntem ad verum decus ducere velim face & viatico Bonementis comitari. Virtus prima eſt, hinc Eruditio, quæ partim Græcæ, partim Latinæ ſubſidio linguæ indiget. Sapientia modum ſuum habet, ſatisq́ue juvenile ingenium Themidis ſtudia occupent. Ut ciborum, ſic & doctrinæ condimenta quædam ſunt, & alacriorem animum reddunt. Sunt etiam quædam, quæ Litterarum arcana appellare ſoleo; ſed ex intervallo & occaſione aperienda. Hæc ſcire, eſt propemodum nihil ignorare. Ecce quid promittam: præſtabo σὺν θεῷ, ita tuus ſim, ita ille meus. Sum ſanè, & ero ſemper, Amicitiæ fiduciâ quam dixi, & quâ de me arbitrio tuo ſtatues. Lovanii, in Arce, v, Kal. Novemb.

ꝏ. I Ɔ C. XL.

EPISTOLA

EPISTOLA LXIII.

Lovanii.

JACOBO HUNTERO, *V. C.*

MAgna mihi ſtrena epiſtola tua fuit, N. & C. V. & ſingulari omine nova hæc auſpicia anni nobilitat. Bonam habere mentem (hoc argumento ſcribis) felicitatis caput ac principium eſt: à Bona autem Mente ordiri annum, eſt totum profectò proſperum reddere, ac Numini conſecrare. Arripio igitur omen, & bonis verbis bona Bonæ Mentis vota reddo; ut lætus lætum, felix te felicem videam, à novo poſt Brumam Sole novis animi radiis ſerenum. Solem exprime, qui ſemper idem eſt, & eodem ubique lumine, ſi ipſum intueamur. Sapientem exprime, qui tanquàm imago magni Jubaris, à ſe non abit, annum quotidie incipiens, imò finiens, quia eodem ſemper modo vivit. Quid dicam? Te exprime, qui ingenii lumine conſecutus es, ut aliquid Solis haberes, inter feliciora doctrinæ ſidera

ſidera numerandus: qui, cùm in Sapientiæ ſtudiis totus ſis, Bonâ Mente oſtendere potes, in die annum, in anno diem, ſed brevi vitâ æternitatem comprehendi. Mitto diem, prætereo annum, de æternitate tecum ago, quam exorſus es: ſic quidem nunquam moriturus. An plura? Ad Bonam Mentem redeo, quâ æternitas continetur. Ad hanc verò, cùm Illuſtriſſimum Comitem CLAUDIUM COLLALTINUM ducas, parvum ætate, magnum animo, & natùm omnino ad magna; libens me curæ tuæ ſocium adjungo, ſtudia mea quæ tota Bonæ mentis ſunt, offerens. Ipſe aureo nunc xenio ſuo nónne invitat? Nónne avidum ſe diſciplinæ dando commonſtrat? Dedit xenium, Apophoretum exſpectet. Si me amabit, majus etiam putabo munus. Ita enim non poterit Bonam Mentem Bonaſque Litteras non amare. Hâc teſſerâ totum me Genio illius, tuæque viciſſim humanitati conſecro. Lovanii, in Arce, Kalendis Jan. ∞. I Ɔ C. XLI.

EPISTOLA

EPISTOLA LXIV.

Bruxellam.

CORNELIO UFFELIO,

I. C.

NOvum feliciſſimi ingenii tui ſpecimen novo hoc anno accepi, Epigramma prorſus aureum, niſi gemmeum potiùs appellem. Laudes meas, ſed nimias, & à me certè alienas auro ornas, gemmâ illuſtras; & hoc pretio, hâc luce invidiæ mihi umbram apud alios provocas. Amo amorem tuum, ſed corrigo; ut ſi verè ames, meâ me mediocritate definias, meis me anguſtiis circumſcribas. Præſtat cum aliis, quàm ſupra alios eſſe; nomen non pompâ, ſed modeſtiâ profiteri. Senator etiam ſtipendio factus ſum, & hoc nunc quidem nomen libentiùs ab ætate, quàm dignitate ſumo.

A ſenibus nomen mite Senatus habet.

Stipendium verò non ad pompam, ſed ad neceſſitatem computo; ut honeſtè, ϗ σπȣδαίως, quæ teſſera mea eſt non ſplendidè, aut magnificè vivam. Ergo in Schola malo, quàm in curia eſſe;

ria eſſe;non lites,ſed litteras tractare;non Themidis ſtudia,ſed Minervæ.Hæc me docet,quæ ſuperflua ſunt negligere, in Bona Mente omnem fortunam collocare. Sic ſum, ut videas qualem ames, & quouſque laudare poſſis: imò ſic ſum, ut videas, à quo ameris. Vale, & bonum, fauſtum, fortunatumque hunc & plures annos habe, Lovanii, in Arce, Nonis Januariis, ∞. I Ↄ C. XLI.

EPISTOLA LXV

Bruxellam.

ELIÆ DE BIE,

S. Petri ad VVolvam Flumen Toparchæ, Ærarii Belgici Sanctioris Conſiliario & Graphiario, Archivorumq́ ibidem Regiorum Gazo-Philaci.

AMantium iſtæ deliciæ ſunt, nominibus ludere; & ſub perſona tamen candorem profiteri. Paterisne igitur, me tibi Eupantum eſſe? Meum ego te Æbælyſium appellabo. Elyſium vides, unde Campi Elyſii: ad hoſce autem cùm jam ille filiolus tuus, ille flos tuus

tranſlatus

tranſlatus ſit, obiiſſe quidem, à te verò abiiſſe non videtur. Totâ felicitate, & tuum & ſuum nomen complexus eſt, nunquam moriturus, quia vivere deſiit; quia ante curas, moleſtias, ærumnas, quibus homo obnoxius eſt; quia purus, pulcher, innocens, & antequam ævi nubes nebulaſque ſuſtineret. Longa vita, longa navigatio eſt: beatus ille, qui compendio venit in portum. Has tempeſtates omnes procellaſque mortalium cùm Sapientiæ Antiſtites olim expenderent, *Non naſci optimum putârunt, aut quàm ociſſimè aboleri.* Sed tuus ille, jam verè tuus eſt, quia æternus: tanquam in te tranſcribat, quantùm victurus erat. Et quorſum dolor? Quorſum lacrymæ nihil profuturæ? *Leviùs fit patientiâ, quicquid corrigere eſt nefas.* Jubeo te virum eſſe, ut ferre quod humanum eſt, queas: imò jubeo te virum eſſe, ut pater rurſus fias. Ita propitio Genio, novis gaudiis, noviſque votis felix familia florebit. Vale. Lovanii, in Arce. IV. Kal. Mart. ∞. IƆC. XLII.

EPISTOLA

EPISTOLA LXVI.

Bruxellam.

JOANNI DECKHERO,

I. C, poſteà Conſiliario Regio.

QUantùm omnes Virtuti & Doctrinæ tuæ, peculiari ego ratione Humanitati debeo, & effuſo in me Candori. Iſtis clarus es, omniumque mereris amorem & provocas: hiſce officioſus, & meum privatum. Narravit mihi TYLBERTUCIUS meus, quàm blãdo ore, quàm benigno pectore ipſum pectus effuderis, ut totum te EUPANTO mancipares, novum Amicum veteri, & veterem novo. Sanè inter nos affectus ſemper fuit, familiaritas non fuit: ille bonus, ille verus, quia cùm hęc deeſſet, labefactari tamen ἀπροσηγορία non potuit; bonus, & ſic conſtans; verus, & ſe contentus. Cœpimus igitur Amicitiam, non oſtendimus, à tacita radice uberiorem deinceps fructum percepturi. Ecce manum meam, ecce fidem: tuus ſum, & hoc jam ago, ut fuiſſe ſemper videar, nunquam deſinam.

 Pergam

Pergâ Virtuti ac Doctrinæ tuæ deferre,quod omnes debent; Humanitati & Candori debere, quod omnes deferunt: unus tamen ero, qui in te amando & colendo nemini ceſſurus eſt. Ita vale, & amoris mei, cultuſque interpretem TYLBERTUCIUM habe. Lovanii, in Arce, III. Kal. Mart. ∞ .IↃC. XLII.

EPISTOLA LXVII.

JO. FRANCISCO PRETERO,

Iudici Caſtrenſi, in Legione Grobbendonckana.

ET nomen mihi tuum, & ingenium, & munus in pretio eſt mi PRETERE, à prima iſta, amica & eleganti ſcriptione. Quidni liberè verò, qui tam candidè, & cordatè? Cùm nomen profiteris, dignus certè affectu es; cùm ingenium, laude; cùm munus, cultu. Sed ego confundam hæc omnia: affectum Laude, laudẽ cultu exprimam, novę huic impenſurus obſequia amicitiæ, tanquàm veteri ac robuſtæ debeantur. Non enim tempore,

pore; ſed deſiderio familiaritatis auſpicia computo; non quando ſcribere, ſed bene mihi velle exorſus es. Itaque nec in ipſa Academia, cùm Juriſconſulti titulum caperes, à te præteritus ſum: nec PRETERUM ego inter præteritos habui; pronus ut complecterer, quem, ſi non privatim, publicè; ſi non in Arce, in Schola allocutus ſum, Amicum, quia Auditorem. Sic nunc te complector igitur, totus totum: daturus operam, ut quantùm in me erit, amari merear. Pignus cupis? Hoc nunc elogium mitto RUDOLFI Imp. quod in manu erat. Gratum fore elegantis ingenii & Muſæ Vir FORNENBERGIUS, ille toto affectu tuus, ſpopondit. Sic verò & ego ſum, & ero ſemper. Lovanii, in Arce, II. Kal. Mart. ∞. IↃC. XLII. Túne pro Epitaphio gratias? Quid præſtiti? Nihil: ſed jam debeo omnia.

EPISTOLA LXVIII.

Bruxellam.

FRANCISCO DE URRACA,

Marchioni de Tordelaguna ab intimis Secretis.

SUAVE Litterarum & eruditionis nomen eſt, quod inter bonos obtines. Amant boni Litteras, amant eruditionem; & hâc humanitatis teſſerâ, ad mutuum quoque affectum gradiuntur. Felicem igitur me, an infelicem dicam? Priùs amari à Nobiliſſimo Ingenioſiſſimoque URRACA cœpi, quam reddere vicem potui: neſcivi me amari. Bonitatis tuæ interpres aurei Vir Genii GUILIELMUS BLITTERSWYCKIUS fuit, primùm litteris, quemadmodùm ſcribere quotidie ad me ſolet; tum ſermone; quaſi tanti etiam eſſet, Lovanium venire. Intellexi verò ſic pleniùs non affectum modò, ſed & cultum, omniaque obſequia virtutibus me tuis, humanitatis face vel maximè lucentibus, debere. Hanc ut obligationem profitear, me totum offero,

offero, ad nutum tuum ipſe ingenii mei monumenta habiturus. Audebo verò ex intervallo litteras mittere, & poſtquàm affectum obtinui, etiam patrocinium implorare. Quidni enim velis, quem amas, ſi occaſio ſit, & uſu veniat, etiam juvare? Oſtendit ſanè qui juvat, ſe amare: bonus bonum, ut malis infeſtus ſit, vel ideo bonus. Sic ſalve ô Amice, ô Patrone, & me amare perge, juvare incipe, ut bis felix ſim, qui jam me Nomini tuo, Virtuti, Dignitati totâ mente conſecro. Lovanii, in Arce, Prid. Non. Mart. ∞. I Ↄ C. XLII. Unâ non videor ſatis epiſtolâ animum expreſſiſſe; centum mitto, tanquàm ad te unum ſcribi debuerunt, poſt mille ultimò in lucem editæ.

EPISTOLA LXIX.

Amſterodamum.

GERARD. JOAN. VOSSIO,

Eloquentiæ Profeſſori.

DIutiùs quidem ſilui, non amoris defectu; ſed temporum vitio, hominumque, qui

 nihil

nihil litteris, aut amori noſtro concedunt. Hic ſanè à litteris ortus eſt, & ab iis artibus, quibus quieti, non factioſi, eruditi, non ambitioſi ſumus, in ſuo uterque munere occupati, ut bene de omnibus mereamur. Ego certè, quod tu præſtas, conari me profiteor, & poſt quadraginta duorum annorum publicas continuasque Diſſertationes audienti me juventuti vocem ingeniumque impendo. Omne quidem ſic Scriptorum genus attigi; auſus amœnitatis cauſsâ, etiam Cenſorini de Die Natali librum explicare: quo deinde argumento ad curioſam Temporum doctrinam converti ſtilum, & plurima hactenus non obſervata, produxi. Cùm alios docerem, diſcere ipſe potui, quâ ratione tempora omnia ex tempore computarentur. Specimen aliquod in libro meo de Biſſexto eſt: qui adjunctam Dierum Diorthoſin habet. De Circulo Urbaniano nihil jam dico: totus enim editus adhuc nô eſt; nihil de Olympiadibus, quæ limam exſpectant. Amici de Nundinis jam quoque moleſti ſunt: quas diſtuli, ut tabulam priùs expenderem Nundinalem in GRUTERI Inſcriptionibus, pag. CXXXVI. Torquent me circuli iſti abrupti, & numerian ad Lunam referendi? Si quid in te opis eſt, ſi quid in Amicis, fac juver, gratiamque à me

à me uberem expecta. Theatrum nunc adorno Heroicum, ſive Elogia Imperatorum Auſtriacorum, Ducum Burgundiæ, Regum Hiſpaniæ, ſed ex illis utriſque ſtirpem trahentium; ad alios deinde Principes, exemplo JOVII (cujus olim muſeum perluſtravi) operam tranſlaturus. Jucundum ſit, Viris etiam locum Doctis & Amicis dare. Statui verò & imagines à meliore manu addere, & his auxiliis opus commendare: quæ ſi ulli libro, Elogiis certè conveniunt. Ut ſcriptionis formam videas, geminum hoc ſpecimen mitto, ALBERTUM, inquam, & FREDERICUM. Burgundiæ Duces unâ Orcheſtrâ abſolvi, mox etiam tranſmittendos. Exemplaria enim à Typographo quotidie exſpecto. Sed quid audio? In Aulo Gellio te eſſe? Laudo conſilium. Hic ille Scriptor eſt, qui magnam Antiquitatis partem Noctibus ſuis illuſtrat, varius, Latinus, accuratus. Quantum, ô Muſæ, damnum? Librum VIII. intercidiſſe! Quantum bonum, ſuppleri poſſe! Vide etiam, an caput ultimum libri XX. Præfatio Operis totius fuerit potiùs, quàm concluſio, ut nunc habetur. Pluſcula obſervabam nuper, cùm ſelecta totius voluminis hujus capita publicè explicarem: ſi tempeſtivum ſit, mittere velim, & meam quoque Symbolam, ut

ita dicam, conferre. Tu me ama, & ad me ſcribe; ut intelligam amari me, ſilentium autem hactenus meum pro delicto non cenſeri. Sic nunc toto animo te complector. Lovanii, in Arce Regia. III. Kal. Septembris. ∞. IↃCXLII. Hanc utinam aliquando videas, quemadmodùm ANNA ROMERIA Clariſſima Matrona nuper vidit! Det mihi hæc, priuſquàm moriar gaudia Bonus Deus! Vale.

EPISTOLA LXX.

Amſterodamum.

GASPARI BARLÆO, *V. C.*

SÆpiùs jam debeo & humanitati, & doctrinæ tuæ ſemel debere me oſtendo. Non unas ad me miſiſti hactenus litteras, & humanitate recreatus ſum; miſiſti libros, & doctrinâ auctus. Quia Doctiſſimus eras, non poteras non humaniſſimus eſſe, laudem inter primos ævi noſtri adeptus. Quem non rapiat Heroica illa Muſa tua? Moveat Suada? Beet Sophia?

Sophia? Nova in te incipiant coli ingenii numina, ſi vetera deſinant. Reddis nobis, aut repræſentas, quidquid erudita Antiquitas habuit, & in una Urbe Orbem univerſum illuſtras. Deſinant extollere divitias ſuas Cives illi tui, quos doces; ampliùs à te accipiunt. Doces bonos eſſe,& hæ maximæ divitiæ ſunt: Sapientes eſſe, & hæc ad cælum via. Si meo calculo ratio conſtet, eminere te inter opulentos dixerim, ac felicem eſſe: mente poſſides,quod nemo arcâ; ac potes tuâ fortunâ lætus eſſe,qui nimiam non ſectaris. Sanè ſi adſim, aureum illud pectus tuum invadam, complectar, & multis oſculis premam. His nunc dignam epiſtolam tuam cenſui, verè ſuavem, ingenioſam, amicam; dignum Panegyricum, quem divino prorſus carmine Virtuti & Sacræ Purpuræ perſolviſti; dignam etiam tam Celebrem Matronam, eleganter & officiosè à te commendatam. Ut enim *ANNAE ROMERIAE* nomen legi, totus in lætitiam datus ſum, & hoſpitalem dexteram non renuenti porrexi. Nec mora, in Arcem, & magis in pectus meum, venit, grata uxori meæ, filiabus, totique familiæ. Amare candorem noſtrum, admirari amœnitatatem loci potuit: cætera ſuo ipſa ingenio fecit. Muſam exceperam, & te Apollinem deſiderabam; tot ſimul

 numina

numina, quot in literis tuis nomina expreſſa. Capax hic Profectò Helicon & *HOOFDII*, & *HUGENII*, & *CATSII*, & *HEINSII*, *VOSSIIQUE*: apti omnes, ut Helicona facerent. Sic ludo cogitatione, & oblecto animum, dum ſævo longoque bello dividimur, Pacis & Bonarum Artium myſtæ. Faceſſant arma, ſtudia noſtra tranquilla ſunt: pugnent alii, noſter nunquam poterit amor violari. Eram in Elogiis Auſtriacis, burgundicisque, & ad te audeo affectûs nomine ſpecimen mittere. Inter hiſtoriam & laudationem medius ſum; niſi utramque potiùs miſcere videar. Rem narro, ſed breviter, & hæc quædam velut lineæ ſunt; orno, ſed leviter, & hi velut colores. Non debeo, ut ſcriptionis meæ ratio eſt, uberiùs; non poſſum ſplendidiùs. Elogia ſunt, & hoc ſatis, ut conatum meum, certè me ames. Vale, Lovanii. in Arce, Prid. Kal. Septemb. ∞, I Ↄ C. XLII.

EPISTOLA LXXI.

Lutetiam.

SCIPIONI DE LA SCALA,

Equiti.

IN calamo tuo aurum eſt, in affectu ignis. Sic te ſcribere! Sic amare! Quemadmodum elegantiâ capior, ita beneuolentiâ ac humanitate accendor. Nónne felix? Virum inveni, cùm pauci jam ubique homines ſint: in quo quia plus cæli quàm terræ ſit, divinas cogor virtutes venerari. Quid dicam? Lates, & luces: quia enim non potes non magnus eſſe, velis nolis conſpicuus es, radioſque etiam per opaca tranſmittis. lumen, admirabile ingenium tuum eſt, judicium incomparabile, ſive de pace, ſive de bello pronuncias, rerum & hominum, temporum & locorum gnarus. Accedit varia eruditio, cultus, & librorum amor; quibus & arma tua ornas, & Equeſtrem dignitatem longè illuſtriorem reddis. Hæc me omnia rapiunt fateor: beat affectus (ut iſthuc redeam) & calamus, quo affectum exprimis. Quid tamen eſt?

men eſt? Scribendi ſi mavis, quàm amandi tempora computare, ſerò felix ſum: ego in Amore pono omnia; loqui & ſcribere Amorem, cùm nulla epiſtola eſt: ut ſic quidem priuſquàm eſſet, interpellatus videar; debuiſſe reſponſum, priuſquàm interpellarer. Ne ſigna deſiderem, plures jam epiſtolæ tuæ ad Nobiliſſimum Blitterswyckium meum miſſæ, faciunt: in quo cùm totus vivam, & ille in me, non poſſunt ad me non miſſæ eſſe. Quid igitur? Tu me amare perge, & vivere in te quoque, incipiã amare libros meos, & ad novos conatus ingenium, quantùm per ætatem, valetudinem, curas licebit, favore tuo attollam. Vale, & cultum obſequiumque à me jam penitus tuo admitte. Lovanii, in Arce Regia, Poſtridie Eid. Octob. ∞. I Ɔ C. XLII.

EPISTOLA LXXII.

Lutetiam.

EIDEM.

NImiâ videri poteram familiaritate peccâſſe, & ecce, quæ humanitas tua eſt, culpã ad laudem vocas, tanquàm in delicto officium agnoſcas.

agnoſcas. Scribere, officium erat; ſic breviter obiterque delictum. Lepida igitur & copioſa epiſtola tua, quâ pauca mea æſtimare verba voluiſti, non jam ſinit affectum meum quieſcere. Ego, ego, quemadmodùm virtutes ubique colo, ita tuis præcipuè captus ſum; & me gaudeo TUUM eſſe, & ſic eſſe, ut aliquid viciſſim quaſi imperii nactus ſim. Quid haſtam nominas? Amandi, non emendi ſunt; qui infra ingenium corpus habent, verè Viri, quia ad immortalitatem vivunt. Amor ad naturam facit, & è pulchritudine naſcitur: emptio ad fortunam, & legi obnoxia eſt. Non me tenent corpora, animos reſpicio, qui cùm pulchri ſunt, cæleſtem amorem gignunt, non Veneris, ſed virtutis filium: niſi & cæleſtem quandam Venerem cum Platone ſtatuamus. Animi cùm amantur, Amor cæcus non eſt, & quamvis oculis careat, Argum putes. Ubique præſens, videt quicquid ubique eſt, diſtinguit quicquid optimum eſt, complectitur quicquid æternum eſt: Scipiones tamen ubique non invenit, Equites Litteris, Sapientes Armis illuſtres. Unum hodie eſſe, & Phœnicis inſtar, ſi non agnoſcit ſæculum hoc noſtrum, bona ſua ignorat. Cæterùm ut de emptione quoque addam; hanc nemo animorum eſſe dicet, aliquis corporum.

Homines

Homines non homines, & qui ſequiore duntaxat ſui parte vivunt, venum eant (in his enim, quemadmodùm magnus Politicorum Magiſter docet, ſervitus naturâ eſt:) ſed Diogenes aliquis, vel Epictetus; vel alius divinioris notæ, quamvis inter venalitios ſtabit, liber tamen erit, & vel domino imperabit. Aliquid Diogenis Xeniades emet Corinthius, aliquid Epicteti Epaphroditus ille Neroni carus; emet quod vile eſt, ac perire poteſt: in nullius poteſtatem Sapientes eunt. Quid verba facio? Nónne meus es? Certè humaniſſimâ confeſſione tuâ: imò nónne tuus es? Ideò *animo ſemper*, ut ſcribis, *tranquillo ac hilari*. Quia meus igitur, meo nitar jure, ut ſemper maneas: quia tuus ipſe, tuique vindex, non ſub haſta, ſed cum haſta ſtabis, & tanquàm homine major, aliquid Dei exprimes. Nam, ut Juſtinus refert lib. XLIII. *Ab origine rerum pro Diis Immortalibus Veteres haſtas coluêre: ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum ſimulacris haſtæ adduntur.* Tu Generoſiſſime, & ſimul Sapientiſſime Heros, haſtâ nunc cape, & Anthropophagos iſtos, exemplo indignos, in Americam ſuam, vel in Utopiam aliquam expelle, ubi perpetuâ fame crucientur. Qui nec Reginis parcunt, nemini humani erunt. Chriſtianos appellas? Ego an homines fuerint, ad-

rint adhuc dubito. Et quamvis extra pericu-lum ſim, quia macilentior; non poſſum tamen non homines inter homines tolerare. Vale, qui inter homines emines, & me hominem ama. Lovanii, in Arce Regia. v. Eid. Januarii. ∞. I Ɔ C. X L I I I. quem feliciſſimum tibi Superi faciant.

EPISTOLA LXXIII.

Bruxellam.

FRANCISCO DE URRACA,

Marchioni de Tordelaguna à Secretis.

A Nupero aureoque ſermone tuo ita diſceſſi, ut animum meum apud te reliquerim, non uno velut clavo fixum. Quem non rapiat tam prolixa humanitas, tam prudens maturitas, tam prompta rerum omnium capacitas? Ingenium & Elegantiam in Epiſtolis maximè admiratus ſum, ita ſcriptis, ut nihil libentiùs legam: ita miſſis ut ſemper accipiam, quia ſæpiùs lego. Atticiſmus ille tuus ad Genium meum maximè facit, pondere &

pretio

pretio ſingularis, etiam acumine laconiſſans. Alia alii æſtiment munera: ego iſta, quæ non mittis tantùm, ſed facis, non manu ſolùm, ſed mente liberalis. Didici tandem, ſic te ſcribere, ut loqueris; & fœcundiùs etiam amare: imó ſic te loqui, ut ſcribis,&, tanquàm nihil arti debeas, feliciſſimam utrobique naturam ſequi. Hâc igitur favente, pauciora tibi diſcenda erant, ut ſcires plurima: quippe à te habebas lumina, quæ arte & exercitatione alii quærunt. Tali etiam in Secretis ſuis Scriniiſque indigebat verè Magnus ille MELLUS, quia magnus: tali, ut promptiſſimum & accuratiſſimum divinæ mentis interpretem haberet. Ille enim cùm ſic agat omnia, ut omnes ſuperet: ſic ſcribit quoque, & loquitur, ut rerum & verborum dignitate cedat nemini. Legi ſcribentem, audivi loquentem; & maius aliquid homine deprehendi. Totum quod habet hominis, humanitas eſt; quâ, cùm ſcriberet ad Amorem, cùm loqueretur, pænè ad familiaritatē, venit. An dubitare poſſim? Beneficia accepi: quæ tuo promota affectu officioque, etiam tibi me obſtringunt. Id dicam ſemper, id ſcribam ſemper; non adhuc tamen felix, niſi & illum facias, quem æquè ac me ipſum amo: quem niſi ſic amem, amare virtutem non videar. BLITTERSWYCKIUS eſt: & nónne totus

ac totus etiam tuus? Tuus ſermone, Tuus ſcriptione, Tuus officiis, quę ſermone & ſcriptione peragũtur. Ut munus Senatoris in Conſilio Brabãtię peteret, ego in parte auctor fui. Quidni? Digniſſimum cenſui. A me jam quoque interpellatus Magnus noſter Mæcenas ac Patronus; qui benigno animo petitionem admiſit. In te verò reliqua ſpes noſtra ſita eſt: nempe in Amico & Benefactore. Nomẽ Amici ſanctum eſt, hoc invoco: Benefactoris rarum, hoc imploro. Iuva amore tuo, & ad beneficiũ veniemus: iuva beneficio, & ad gloriam amorem attolles. Aliúdne loquar? Utinam præſens! Aliúdne ſcribam? Utinam loquar! Vox, geſtus, oculi, uberiores preces faciunt. Vale decus meum, & à BLITTERSWYCKIO Schema Cæleſte Excellentiſſimi Marchionis cape; in quo conſtituendo virorum Doctorum auxilio uſus ſum: in explicando, Henrici Ranzovi, præcipuorum judicia colligentis, induſtriâ. Sed quid opùs ad ſtellas ire? Ipſe ſuis fortunam virtutibus Excellentiſſimus belli paciſque Arbiter facit. Huic nónne auſim, & tuâ manu PODIUM PHILIPPICUM offerre? Reges noſtri cognomines ſunt, ſic breviter ſcripti, ut cum Cæſaribus Auſtriacis, Ducibuſq; Burgundiæ, in eodem, quod paro, Theatro Heroico ſimul ſpectentur. Iterum

vale Flos Virorum, & ſi me amas. BLITTERS-WYCKIUM meum ama. Lovanii in Arce, Non. Martiis. ∞ . I Ↄ C . XL I I I.

EPISTOLA LXXIV.

Bruxellam.

EIDEM.

LIceat his vocibus uti, & beneficia agnoſcere: Lumen columenque meum. Lumen es, quia me non ſinis obſcurum eſſe: columen es, quia ſpem & fortunam ſtudiorum meorum ſuſtentas. Sanè inclareſcere capi, poſtquàm tuus me œmor complexus eſt: ſtare, poſtquàm benignam ſurgenti manum porrexiſti. Sic me reſpexit ille Heros, qui & Virtutes omnes & Artes in gloriam ſuam vertit: ſic felicem reddidit, qui ne ingenia jaceant, ubique humanus eſt. Quàm in me fuerit agnoſcere ſatis non videor, niſi buccinator fiam. Te laudo, cùm illum attollo; tuuſq; favor in fortunæ meæ bilance velut ſacoma fuit. Vide beneficium, quod accepi, & ſimul, quàm obſtrictus ſim. Accepi, ut ita dicam, alas, tanquàm volare liceat. Sed nunc de filio meo magis etiam ſolicitus ſum, qui ſuo me ponde-

re

re adhuc detinet, niſi pariter ad munus, quod petit, elevetur. Munus non magnum, honeſtum tamen nobis, qui vitæ rationes usu, non pompâ definimus, à vaſtis cogitationibus alieni. Hæc etiam Litterarum conditio, limites mediocritatis non excedere: quam cùm auream Antiquitas appellat magnis parem divitiis facit. Habebit in sua illa Secretorum tranquillitate filius, quod neceſſitas exiget, & quod ſapientiæ ſatis eſt. Quid verba facio? Ut Magni Mæcenatis noſtri in me familiamque meam affectus eſt, ut & tuus ex affectu favor; nefas ſit, vel à ſpe bona, vel à voto abire. Pulchrè ſe in ſtudioſo otio occupare Filius meus poterit: ego in Filio plenè gaudere. Hîc ſileo, ut & ille officio ſuo ſatiſfaciat, & ſuis quoq; litteris loquatur. Vale, & viue feliciter ô meum lumen! ô meum columen! Et has iterum voces benignâ aure animoque admitte. Id rogo & me Amabili Humanitatis tuæ Genio mancipatum ſcribo. Lovanii, in Arce, Prid. Eid. Mart ∞. I Ɔ C X L I I I.

EPISTOLA LXXV.

Lutetiam

SCIPIONI DE LA SCALA,

Equiti.

Nihil erat quod ſcriberem ô Equitum Decus, & tamen ſcribo: Latinè verò, ut mos meus eſt; quia aliter non aſſuevi. Tu linguarum, ut ſic dicam, Proteus es; & tanquàm ubique natus, ſermonem usurpas: etiam Romanum illum, & quaſi inter eos, qui jam eſſe deſierunt. Cum antiquis antiquus es, cum Novis Novus; homo non unius ſæculi, non unius populi, cùm omnem ætatem, omnem Europæ partem exprimas. Sed parum eſt loqui: ſic ſapis quoque, & quemadmodum linguam ita animum excultum habes, & linguam animi cauſsâ. Confer cum negotiis tuis mea, quæ tracto, ſtudia, rudis ſum; quia inter libros magis quàm homines, inter mortuos magis, quàm vivos. Sic meus ſum, ſic vivere videor, ſic mortem non timere. Meus, ut ſcribam quoque Pro ingenii modulo, & privatis laboribus bene

bene de Republica merear. Quid præſtem, judicabunt alii, & tu ante alios: cui ſi PODIUM hoc nunc PHILIPPICUM placebit, novos ſumam animos, & me mihi conſtantiùs vindicabo. Vale ut dixi, Equitum decus, & animi obſequia à vero virtutum tuarum cultore admitte. Lovanii, in Arce, VI Kal. April. ∞ . I Ↄ C XL I I I

EPISTOLA LXXVI.

Lilloam,

N. BEVERY,

Arcis Lilloënſis Præfecto.

FAteor equidem benevolentiæ tuæ radiis perſtrictum animum meum eſſe: illis puris, ab omni fumo, ut ſic dicam, & fimo corrupti paſſim ſæculi remotis. Totus Martis es, & in Pallade invenis, qnod ames: totus virtutis, & hanc in hoſtem, tanquàm Amicum, exſeris. Ceſſet publica cauſſa, honeſtatis officia privatim ubique obtinent; & Amoris, qui ex honeſtate oritur. Quid officia di-

co? Ad beneficia progreſſus es, ubi alii bona etiam verba ſeveritate continent. Et quomodò igitur Tuus non ſim, qui jam meos in ære tuo habes? Sum certè, & ero ſemper: quem ecce nexum ingenii hoc munuſculo, ſed novo, ſolenni velut pignore, profiteor: non fruſtra benevolentiæ tuæ radiis perſtrictus; quos, à te acceptos, reddere jam incipio, verè Tuus, & virtutum tuarum obſervantiſſimus, ad obſequia paratus. Lovanii, in Arce, Pridie Kal. April. ∞' Ↄ C. XLIII.

EPISTOLA LXXVII.

Mechliniam.

GAVGERICO RIVIO.

I. C.

MItte delicias: à Muſarũ fonte tuus ille rivus, purus, limpidus, gemmeus, nullam à limo Accurſiorum, à limo Bartalorum labem trahens. Sed ut eleganter, ſic amicè ſcribis, & veterem affectum novo candore exprimis. Quod Magno illi Cantelmo, illi inter homines Heröi, placueris, ingenio tuo &

eru-

eruditioni imputa:ego gaudeo ſanè habere me Amicos, quos laudare poſſim; habere RIVIUM, qui, cùm inter juriſconſultos emineat, famam ſimul à litteris humanioribus ſumit. Tuum igitur Genium non poteſt non amare & æſtimare, qui totus virtutis eſt, rarum in homine; qui totus Doctrinæ, rarum in Belli Duce, & rerum geſtarum gloriâ Clariſſimo. Mihi certè in ipſo jam ſenio jucundiora ſtudia ſunt, quia tanti viri & Mæcenatis familiaritate nitor: & tua tibi erunt, meum ſi exemplum ſequi perges. Vale, & PODIUM hoc PHILIPPICUM vide, ut de toto, quod paro THEATRO ſtatuas. Lovanii, in Arce, Poſtr. Non. April. ∞ IↃC.XLIII.

EPISTOLA LXXVIII.

Bruxellam.

PETRO COOSMANNO

Ærarii Sanctioris Conſiliario & Graphiario.

HUmaniſſime & Præſtantiſſime VIR: his enim utar titulis, ad pompam ſimplicibus

ad laudem validis; ut ſingulares virtutes tuas, & quæ perpaucorum ſunt hominum comprehendam. Humanitas omnibus te amabilem facit, Præſtantia ad paucos evehit, munere aut dignitate eminentes. Patuiſſe ſanctioris tibi Ærarii acta & arcana ab intimo BIAEO meo intellexi, Viro, ut tuis eum tituils ornem Humaniſſimo, Præſtantiſſimoque. Vterque utriuſq; imago eſt: additus Litteris, quæ Humanitatis radices ſunt: animum virtute excolens, quâ vera Præſtantia habetur. Ex quo te noſſe cœpi, omnia Humanitatis inveni officia: Præſtantem eſſe, ipſa Virtutis præmia indicant. Idem de BIAEO dixerim, meo, & jam bis meo, qui te quoque meum conatur facere; cum magno ipſemet affectu tuus eſſe cupiam, ſciri, haberi. Quemadmodum igitur ignotus antea non fui: ita Amici deinceps audebo in te nomen uſurpare; Humaniſſimi, à quo omnia mihi pollicear; Præſtantiſſimi, cui debeam omnia, & ſimul tribuam. Vale, & quia his jam titulis uſus ſum, alios, & dari ſolitos, exſpecta. Lovanii, in Arce, XVI. Kal. Majas, CIↃ. IↃ C. XLIII.

EPISTO-

EPISTOLA LXXIX.

Bruxellam.

FRANCISCO DE URRACA,

Marchioni de Tordelaguna ab intimis Secretis.

TAm prolixâ ad me humanitate Excellentiſſimus, & Dîs quàm hominibus ſimilior ASSUMARIUS ſcribit; ut totum animo gaudium non capiam. Verba quæ lego, paria votis & meis, & filii ſunt. Verba, non minùs quàm ipſum munus æſtimanda. Sed à Secretis eſſe, ipsâ functione honorificum eſt; Mechliniæ eſſe, & in Magno Conſilio, etiam quiete commendatur, quaſi litterarum ſtudia liberiùs admittat. Utilitatem ſpectent alii, nobis ante omnia Dignitas ipſa erit, & quia à Magno Heröe MELLO nobis veniet. Quia igitur conſultatio expectanda eſt, ut ſtatui de munere poſſit: nos id ſimul hîc agimus, ut filii nomen Candidatorum more tranſmittatur. Prævenerunt fortaſſis alii: ſed merito præ-

ſtat, quàm tempore agere. Etiam qui ſequitur, tempeſtivus eſt: erit filius meus, ſi collatio muneris aliquamdiu etiam differatur, dum juſtitium eſt. De favore Illuſtriſſimi Præſidis Mechlinienſis bene ſpero; ſed primo Senatu, qui an his feriis Canicularibus fortè habendus ſit, neſcimus. Exiguum ſpatium eſt; ſed novum erit beneficium, ſi tuâ interceſſione Excellentiſſimus Comes Mæcenas meus ſuſpendat benignitatem ſuam, dum mori recepto cupimus ſatisfacere, omnibuſque placere: illi inprimis, qui unus hic mihi, & ſummus eſt, & cui totum me, & ſtudia mea devovi. Te proximo loco quidni amem, æſtimem, colam? Verbo dicam, Tuus ſum, & toto animo ero ſemper. Lovanii, in Arce, VI. Kal. Auguſti. ∞. I Ↄ C XLIII.

EPISTO-

EPISTOLA LXXX.

Madritum.

JACOBO BRECHTIO,

Equiti, ſummo Senatus ſtatus Belgici in Hiſpaniis Secretario.

TOtum me rapuit, poſt beneficium, epiſtola tua, in cumulum humanitatis ſcripta. Agnoſco amorem, hinc beneficium eſt; agnoſco beneficium, ſic Boni amant: ſic ille ipſe, de quo ſcribis, LAURENTIUS RAMIREZ DE PRADO, divinâ quâdam naturâ inter Magnos Doctiſſimus, inter Doctos Maximus; ita de me meritus, ut vero titulo PATRONUM, imò PATREM appellem. Non invenio majus nomen; nec minus convenit. Patronum eſſe, ad auxilium facit: Patrem eſſe, omnem charitatem continet. Sed ego quantum huic tam Magno, tam Docto, tam MEO, debere me profiteor, tantum niſi tuo quoque affectui perſolvam, intelligere beneficium non videar. Cupio gratus eſſe; & ut ſim, à tua adhuc humanitate vires

res ſumam. Hæc jam familiaritas eſt, ad quam ſanè elegantiſſimâ & amiciſſimâ epiſtolâ invitor. Scribis benignè, ſed poſtquàm feceras: & quia præſtare maluiſti opem, quàm promittere, facis; ut quam non petii, exſpectare deinceps audeam, ampliusque obſtringar. Sic vale Ampliſſime & Prudentiſſime Domine, & me æternùm mancipatum habe. Lovanii, in Arce, IV. Kal. Auguſti. ∞ .I ƆC. XLIII.

EPISTOLA LXXXI.

Bruxellam.

ELIÆ DE BIE,

Equiti, S. Petri ad Wolvam Flumen Toparchæ, Ærarii Belgici Sanctioris Conſiliario & Priori Graphiario, Archivorumque ibidem Regiorum Gazophilaci.

CUm junior eſſem, Amicos & Benefactores ſenes habui: hi abierunt ferè omnes, & Amorem atque Beneficia in Junioribus jam

jam ſeneſcens inveni; tanquàm florem vitæ, fructumque in eadem ætate carpam. Tu ille es, mi BIAEE, & tuus ille BLITTERSWYCKIUS, inter paucos; quem utrumque quamdiu vivam, complexurus ſum; etiam quando moriar, ut in animis veſtris nunquam non vivam. Intereà philoſophandum mihi eſt, ut quæ aſpera aut adverſa ſunt, æquo feram animo: ſuſtineam verò perſonam, quam Deus impoſuit. Aliquando enim, & quando inter homines non ero, ſecurus reſpirabo. Mihi nunc ne ingenium quidem liberum eſt, ut MARTYREMATA, Nomini tuo inſcripta, typis, & ſic publicæ lectioni tradam. Hæc tamen meâ adornare manu conſtitui, & ad te mittere, quia tua ſunt, ex occaſione in lucem producenda. Stimulat me profectò benevolentiæ tuæ candor, quem nunc etiam in negotio hoc expertus ſum, totus novo hoc & ſingulari beneficio tuus. Totùs, inquam, tuus, tuus, tuus: nec plura dicere poſſum. Valeant omnia, penè dixeram omnes: te, & BLITTERSWYCKIUM meum pergam meos habere. Ita ſalve. Lovanii, in Arce, XVII. Kal. Septemb. ∞. I Ↄ C. XLIII.

EPISTOLA

EPISTOLA LXXXII.

MONASTERIUM.

GVILIELMO BLITTERSWYCKIO EQUITI.

Ex Scabino Bruxellenſi, jam in ſuprema apud ſicambros curia Senatori & Procancellario Regio.

IDEAM Principis Politici Chriſtiani, amœniſſimis Symbolis, doctiſſimisque Diſſertationibus ornatam accepi; dubius, poſtquàm inſpicere cœpi, ab Opere Auctorem, an magis ab Auctore Opus admirarer. Hoc ſingulare & eximium planè eſt, omnisque prudentiæ ac doctrinæ facundiſſimum ſimulacrum. Ille omni laude major, humani modum ingenii excedit. Minus eſt, quod vel Nobilitas, vel Dignitas, vel Fortuna dedit. His tamen ſingulis ſummum SAAVEDRAM eſſe, mille & mille jam linguis fama clamat. Et quis aptior Paci tractandæ erat? Rex noſter tali Viro potens eſt; quia totâ, ut ſic dicam, Pallade armatus. Etiam in verbis arma eſſe, Sym-

Symbola illa prorſus divina oſtendunt. Hæc deliciæ meæ erunt, & vel ipſas curas mitigabunt. Sic etiam tantum Virum compellare meis audebo Litteris, ac cœleſte ingenium ejus familiariùs incipiam venerari. Aliúdne jam ſcribam? Satis iſta, ut epiſtolam faciant. Vale, & me amare perge. Lovanii, in Arce, v. Non. Octob. ∞ ɪↄc. xl iii.

EPISTOLA LXXXIII.

Bruxellam.

CAROLO HENRICO DONGELBERGIO EQUITI.

In Suprema Brabantiæ Curia Senatori Regio, poſtea Baroni de Reves.

PRo affectu meo, nec non officio, triſtis ſcribo, quamvis tuæ adferre levamen triſtitiæ ſtudeam, caſui, & quidem funeſtiſſimo conſolationem. Propinquus aut Conſanguineus non ſum, quorum id proprium eſt: Amicus tamen, & Cliens, tanquàm velle me profitear quod pro officio debeo; debere, quod pro affectu volo. Ab Amico igitur affectum,

ctum, â Cliente officinm admittes,& me participem eſſe doloris tui ſines, ut dolorem leniam. Conjugem optimam cariſſimamque, quòdque gravius puerpuram; & filium ſimul gemino quaſi vulnere, amiſiſti. Jaceáſne igitur? Cogita, virum te eſſe, ut nihil de Nobilitate indolis dicam, Doctrina inſtructum, Dignitate ornatum & conſpicuum? prout animum habes, in exemplum venire. Magnum ergò habeas neceſſum eſt, magnum ipſe à te virtute exigente. Plorent adverſa atq; atrocia feminæ: in fortiori ſexu lacrymæ velut maculæ ſunt: abluendæ, ſi erumpant; ne doloris dulcedine provocari videantur. Pectus vindica, & in poteſtate oculos continebis. Ingemuiſſe aut ſuſpirâſſe ſatis ſit, ut naturæ morem geras: geras Deo, qui ſicuti te Virum fecit, ita jubet fortem, conſtantem ſerenum eſſe. Potes, ideo Doctus es: debes, ideo Magnus es; cùm ipſa te ſapientia ipſa Reſpublica moneat, modum triſtitiæ ponendum eſſe. Non idcirco ad vulgaria deſcendo, ut dicam, nihil dolore profici; naſci homines, ut moriantur; mori autem, ut demum felices ſint, omnem vitam non niſi ærumnam eſſe. Conſolationis iſtæ deliciæ quædam ſunt, proletariis gratæ. Apud te non oratio, quam ratio valeat; non verba, ſed quæ à re ipſa pondera

ac

ac momenta deſumuntur. Examina malum tuum, & levius deprehendes: tolerabile, quia reſarciri poteſt. Quid enim? Uxor obiit? Nova ducenda eſt: Filius? Plures gignes. Cùm voles, maritus denuò eris: eris autem, ut Pater feliciùs fias. Quæ puerperio ſuccubuit, quæ fœtum ſecum traxit, quæ mater fuit, ut mox funus eſſet, poſtulare viſa eſt, ut de ſuccedanea cogitares. Nimirum liberorum cauſſâ nuptiæ conſtitutæ ſunt, fato diſſolvuntur. Sæpè, quando primæ ſteriles, ſecundæ felici ſtirpem prole faciunt. Sed quid? A primis ad ſecundas affectus transferendus eſt; ut ſi amare velis, dolere deſinàs: alius, ſed tanquàm idem ſis, & in nova ſponſa mortuam recipias, aliam ſic quoque, & tamen velut eandem. Ego, ut te DONGELBERGIUM eſſe memineris, rogo: Virum eſſe, Doctum eſſe, Magnum eſſe. Non poteram breviùs, quomodò dolori par ſis, exprimere. Vide igitur quid tutè tibi, quid ipſi, quod in Ampliſſimo Brabantiæ Cõſilio geris, muneri debeas. Certè non jam vacat, luctui indulgere. Eum nunc ut ad alios & otioſos ableges, te per publicum bonum boni omnes obteſtamur. Sic vale Nobiliſſime & Ampliſſime Domine, ſic plenâ animi tranquillitate fruere: à qua & noſtra dependet. Lovanii, in Arce, IV. Eid. Octob. ∞ . IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXXIV.

Bruxellam.

PETRO STOCMANNO

In Suprema Brabantiæ Curia Senatori Regio.

MIreris in otio meo tantum ſæpè negotii eſſe,ut etiã facillima retardentur. Ita ſanè, ubi uber, ibi tuber. Aliquid nominis ac famæ Litterarum ſtudio, ſed multum ſimul inquietis nactus ſum;nec potuit ſine umbra lumen diffundi. Noctem vicifſe videor, & nubes inveni. Tot ſcriptiones, interpellationes, curæ ſunt (docere enim ac dicere publicè, minimum eſt) ut interdum nec mihi vivam; epiſtolare autem officium quod Amicis debetur, procraſtinando differre cogar. Vides delicti mei cauſſam, & quia confitentem habes reum, benignus eris. De Stipendio ſatis erat, intelligere,anniverſaria ratione ſolutionis fieri: mihi enim alius hîc Quęſtor conſtitutus,& ille jam novus Muſiſque favens. Anteà quidem infra pecuniam poſitæ erant ingenii artes

tes,nunc exſurgunt ſuam deinceps dignitatem habituræ. Sed VENDELINUM utinam Cathedra Græca tuo vel maximè nomine celebris recipiat! Neſcio tamen quid ſperare poſſim: neque enim iſti præfecti à ſententia ſua facilè diſceſſuri ſunt. Quid ſi & operam intereà ego meam publicè impendam, oſtendamque cum litteris latinis Græcas conjungi poſſe? Hæ deliciæ meæ ſint: quemadmodùm tuæ jam (ſic ſcribis) triſtes lites forumque amœniore eruditionis condimento temperare. Hoc profectò eſt, Senatorem eſſe Regium, & ab Academia non recedere; litterarum verò & fructum & famam in Curiam inferre. Bene eſt, dignitas doctrinam complectitur, ſanctiſſimumque Brabantiæ tribunal, quia juſtitiæ ſatisfacit ſapientiam profitetur. Non fruſtra in contubernium ſtudiorum Plutarchum adſciſcis Philoſophorum amœniſſimum, qui, ut breviter laudetur, vel ſuo ſolus ingenio Bibliothecam faciat. Etenim quàm varius, tam eruditus eſt, & tanquàm nihil ignorâſſe videatur, docet omnia: ſemper recreans legentis animum, nunquam ſatians, ſive diſputet, ſive etiam narret. Scriptor nemini non utilis; ſèd tibi maximè, qui pro eruditione tua, Græcè cum mavis, quàm adoptivo ſermone legere. Nimirum quiſque

ut ſcripſit, ita vires venereſque habet: ſed quidquid tranſfertur, non vita, ſed imago eſt, ſæpiùſque etiam ſub colore fallit. Ne plura dicam, tuum hîc judicium interpello, uſurus auctoritate, ſi vel libri Græci, vel hic præcipuè juventuti erit commendandus. Epigramma meum VITA VIA non parvum accepit pretium, poſtquàm à tam Magnis & lectum & laudatum eſt. Adjungo nunc, quod ultimò in theatrum Heroicum intuli, CAROLI V. Elogium, noſtrorum, ut ſic dicam, bellorum ſimulacrum. Et hoc fortaſſis, curis gravioribus ſublevandis erit. Si non legeris tantùm ſed cenſueris, amari me intelligam. Clariſſimo TULDENO, Viro ad laudem juriſprudentiæ nato, affectum tuum explicavi. Votum illius eſt, & ſic meum; imò bonorum omnium, tuum in locum Clariſſimum virum N. quippe maximè merentem aſſumi. Juva igitur, & frui feliciter dignitate tua perge. Lovanii, in Arce, Poſtrid. Kal. Novemb. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTO-

EPISTOLA LXXXV.

Bruxellam.

JOANNI BAPTISTÆ ANVEINIO,

NOn gravius aliis, & capite cenſis pecuniæ debitum eſt, quàm mihi epiſtolæ. Illa metallo exſolvitur, hæc ingenio: Illa numeratur, hæc ſcribitur: illa à manu, hæc ſimul à mente eſt, negotia omnia, ſtudia, officia complectẽs. Vide tamen ſortem meam: Inops temporis, ut plerique æris, per hos omnes hactenus dies ne ſcribendo quidem fui domi & foris variè diſtrictus, & diſtractus. Taceo munus publicum, & quę huic adhęrent. Magnos in Arce, Poſt diſceſſum tuum hoſpites habui, & illi me totum. Didacum habui Saavedram, Legatum Regium. Mox & Andream Cantelmum, Militiæ jam Belgicæ adverſùs Batavos Summum Præfectum. Et Legatus quidem, priuſquàm in Germaniam proficiſceretur, videre me, & alloqui voluit, & in hac ipſa Arce. Nec id ſatis: etiam in Schola dicentem me audire; ut cujus Scripta legerat,

rat, voce & oratione publicâ recrearetur. Dixi igitur, ſed quaſi ex tempore, cùm præter Nobiliſſimam Juventutem, Proceres quoque non pauci, Patreſque Academiæ conveniſſent. Argumentum ſumpſeram, BIVIUM PACIS ET BELLI: *Pacis*, Docens *tramitem Virtutum eſſe, & ad felicitatem dirigi; Belli, Vitiorum, & ad infelicitatem.* Adhuc parem eloquentiæ ætatem eſſe, oſtendere conatus ſum: & ex animi ſententia: quę enim dixi, & quemadmodùm dixi, Legato, totique Auditorio vehementer placuêre. CANTELMUS autem pluſculos deinde dies Minervæ meæ dedit, ac planè viſus eſt caſtrorum moleſtias in Arce deponere. Vir ille verè Martialis eſt, nec minùs tamen Sapientiam colit. Virtutibus autem deditus, non id agit, ut famam habeat, ſed ut mereatur: tam ab avaritia alienus, ut pecuniam faſtidiat; tam à voluptate ut Philoſophum planè Chriſtianum repræſentet. Hęc quidem impedimenta mea, ſed ſuavia fuêre; aliud etiam ab ipſa epiſtola, quam ab me Nobiliſſimus ille inclytuſque Senatus Colonienſis miſerat. Vt enim Magnifico ea Rectori hîc oſtenſa fuit, reddita mihi non eſt: neceſſaria tamen, ut aptè, plenè, ac decorè reſpondeam. Intellexi poſteà, in manibus eandem Decani Antver-

Antverpienſis eſſe, à quo exigenda erit. Sed tuam hîc operam & ſimul humanitatem imploro; & hoc à te jam beneficium peto, ut & deſiderio tuo & meo ſimul officio ſatisfaciam. Omnis enim jam mihi mora moleſta eſt: malimque, ut dixi, aliis pecuniam, quam Magnæ illi Urbi, & alteri meæ quaſi Patriæ, epiſtolam debere. Vale. Lovanii, in Arce; VII. Eid. Novemb. ∞. I Ↄ C. XLIII.

EPISTOLA LXXXVI.

Bruxellam.

LEONARDO VANDER NOOT,

Equiti, Toparchæ de Kieſekem, Conſuli Bruxellenſi.

STatueram, non epiſtolâ ut ſolet, ſed graviore aliquâ ſcriptione novum virtutibus tuis Conſulatum gratulari. Sanè hic affectus meus erat, olim natus, et in Amicū quem fami-

liarem expertus ſum: hic quoque cultus, poſteà confirmatus,& in Patronum,quem litteræ complexæ erant, vel tum maximè, cùm innexum negotiis, & ſic utilem Reipublicæ inveniſſent. Auſim dicere, quia prudens, ſimul eruditus, in Curia ἀμφιδέξιος eras: publica deinde negotia, privatis etiam ſtudiis promovebas. Studia igitur tua ſi reſpicerem, & hîc locus affectui erat: ſi negotia, cultui. Poteram etiam affectui familiari epiſtolâ ſatiſfacere: at graviorem ſcriptionem cultus exigebat. Hæc verò, ut ingenuè dicam, dilata eſt; quia nunc valetudine tentatus, nunc curis diſtractûs, non potui, quem privatim alloqui nolui, publicè venerari. Itaque huc redeo,& moram poſco; epiſtolam præmitto, ut conquiſito majori otio ad graviorem ſcriptionem veniam. Hoc erit, poſt affectum cultum profiteri. Vale. Lovanii, in Arce, Eidibus Novemb. ∞. IↃCXLIII.

EPISTOLA

EPISTOLA LXXXVII.

Antverpiam.

BALTHASARI MORETO PLANTINIANO

TYPOGRAPHO CELEBERRIMO.

SCytha, non Belga ſim Celeberrime Vir, niſi Plantinianam colam Officinam; Barbarus, non Philologus, niſi cultûs hujus cauſſas in expenſo habeam. Aliæ publicæ, aliæ etiam privatæ ſunt. Illæ ab ornamento ſæculi, & Litterarum deſumuntur: hæ ad ſtudia & ſcripta quædam mea peculiariter faciunt, typis Plantinianis illuſtrata. Legitur & æſtimatur LIPSIOMNEMA meum, THAUMATA PIETATIS, ORATIO DE ANNUNCIATIONE VIRGINIS MATRIS, DIBELLIFONTANA; in quæ ſingularem induſtriam Celeberrimus ille Patruus tuus BALTHASAR MORETUS contulit. Quis elegantior, nitidior, magnificentior? Hunc amiſimus; ſed quia æmulâ tu eum nobis, & inna-

tâ generoſitate exprimis, Officinæ hæres, amiſiſſe non videmur. Idem nomen, idem Genius, eadem omnia, ſive eruditionem, ſive famam ſpectem. De Operibus meis SACRIS excudendis ſpem ille fecerat: quam ſi dimittam, in tuam certè humanitatem peccem. PROFANA, quia majoris ſunt molis, in meliora, quæ ſperamus tempora, differemus. Licebit tamen de conditionibus paciſci. Interim epiſtola mihi tua, tam bonâ fiduciâ, tam laudabili argumento ſcripta, propenſæ in me voluntatis velut teſſera erit: mea hæc, quamvis morâ peccaverit, amorem tamen, quo & Officinam Plantinianam, & patruum tuum ſemper amplexus ſum, judicabit, tuo nunc & nomini, & ingenio & candori conſecratum. Vale, & ornare ſæculum Litteraſque perge. Lovanii, in Arce, Poſtrid. Non. Decemb. ∞. I Ↄ C. XLIII.

EPISTO-

EPISTOLA LXXXVIII.

Mechliniam.

FREDERICO REDELIO,

Notario Apoſtolico & Regio.

AMorem fateor: beneficium naſcetur. Tu age quod agis, & utroque te dignum præſtabis. Quia pius es, ad eruditionem pervenies; quia diligentem eruditioni operam navas, te ipſe attolles, & à me ſimul ſubſidia accipies, quia mereberis. Hæc verò epiſtola tua, gratiſſima mihi eſt; quam remitto, ſed obiter annotatam; ut ſic etiam ex reſponſo meo, quamvis breviſſimo, ſcriptionis tuæ pretium ſumas. Faveo indoli tuę, optimiſque conatibus: atque utinam ſtudia, atque ipſa ſimul vota promoveam! Si bonus doctuſque fueris, divitias invenies: ſed magis tuis, qui divites ſunt, placebis. Hoc igitur age, ut loquendo & ſcribendo diſcas; ut verba ac phraſes colligas, ad linguæ Latinæ uſum, per commoda potiùs, quàm copioſa præcepta eas. Ciceronem tibi commendo,

mendo, & Terentii, qui circumferri ſolent, flores. Ut amœniorem etiam ſermonis fructum facias, adagium unum, alterumque lectionibus tuis quotidie adjunges. URBANUS in Carminibus ſuis & Themate verſatur, Dei & pietatis memor: memor fratris ſui, & tui; quem utrumque ſalvere jubet. Sic nunc Vale, & omnia ſic age, tanquàm adſim ac videam quæ agas. Lovanii, in Arce, Pridie Paſchatis, quod felix ſit! ꝏ. I Ɔ C X L I V.

EPISTOLA LXXXIX.

Lutetiam

SCIPIONI DE LA SCALA,

Equiti.

FElix nunc demum illa mea de Aſſumptione VIRGINIS MATRIS Oratio, quia à tuo ore, & in Gallia Gallicè legetur: bis Felix, quia Chriſtianiſſimæ Reginæ oculos ſubitura. Nova, & tamen vetus: nempe poſtquàm conſenuiſſe viſa, renaſcitur, floremque verum & quaſi vernum capit. Vidi verſionis

verſionis ſpecimen, & in eo felicitatem ingenii atque eloquii tui; affectum verò diſſuaviatus ſum. Sed cùm ſic nunc loquar, Decus & delicium Coronarum quidni alloquar? Tanti erat, tanto ſuppreſſum tempore Opuſculum hoc fuiſſe, ut in te incideret, & velut adoptaretur. Æreum erat, & ecce in Aurum commutatur: ignotum erat, & pretium invenit; ignotus ipſe, & amari incipio, imò, ut ſcribis, æſtimari. Atque utinam tantæ Heroinæ, tantique Antiſtitis affectu dignus ſim, ac tuæ pariter commendationi reſpondeam, ex affectu natæ! Litteras colo, ingenium exerceo, quietem ſequor; ſed dum tergemino hoc ſurgere conatu ſtudeo, à te attollor: imò dum tibi placeo, ipſis me video ſideribus placere. Hæc humanitas tua eſt, quâ omnes omnino virtutes comprehenduntur: hæc divinitas, quæ plus cæli; quàm terræ habet. Quia igitur Tuus ſum, non poſſum non aliquis eſſe: quia tuo circumdor lumine, inclareſco. Ipſa Oratio mea tuo animata ſpiritu, vivere incipiet; tuo ornata nomine, æterna erit. Vale. Lovanii, in Arce, Poſtrid. Nonas Majas ∞. I Ɔ C. XL IV.

EPISLOLA

EPISTOLA XC.

Mechliniam.

JACOBO ROELANTIO, EQ.

Toparchæ de Henthaut, in ſuprema Belgicæ Curia Conſiliario Regio.

SI animum tuum rectè novi, Sapientiâ ac Pietate inſtructum, officioſa magis, quàm neceſſaria hæc erit Scriptio; non leniendo dolori; ſed conſtantiæ laudandæ. Abſtulit triſtis caſus filium optimum, quem nemo non luget; & in te oculi omnium conjecti ſunt. Quia Pater, miſiſti lacrymas: quia Vir, corrigere dolorem ratione niſus es, ne humanam à te ſortem alienam putares. Mori hominem, mirum non eſt: omnis ætas, omnis etiam conditio obnoxia. Modi varii, finis idem. Si philoſophari volumus, felicitatis portio ſit, compendio abduci; ſed ab anguſtiis ad immenſa illa & æterna ſpatia ab hominibus ad Deum. Omnes nónne mox ſequemur? Præivit tuus, ſed piè, ſed libenter, & quaſi ævi plenus. Quam majorem conſolationem cupias? Tu nunc annos filii, quos non

non implevit, cape (Deus donet!) & nunc vel maximè familiæ, imò Regi & Reipublicæ vivere incipe, felix in liberis qui ſuperſtites ac florentes ſunt: clarus in adminiſtratione, quam doctrinâ, ac prudentiâ, cæteriſque Virtutibus ſuſtines. Si vis, plures etiã filios habes, non ſanguine, ſed obſequio & affectu; ſive Amicos reſpicias, ſive Cives. Inter utroſque PUTEANI ſunt, & vel primo loco: qui, ut te Virum admirantur ac ſuſpiciunt; ita Patrem venerantur ac colunt. Ita ſalve Vir Ampliſſime, Pater Optime, & hanc mihi ætatem concede, ut liceat tanquàm juveni amoris officia uſurpare. Lovanii, in Arce, xv. Kal. Octobris, ∞. I Ↄ C. X L I V.

EPISTOLA XCI.

Antverpiam.

CORNELIO BOVWENS,

I. C.

SUbitum exigebant reſponſum litteræ tuę, quia humaniſſimæ doctiſſimæque, & candido

candido affectu ſcriptæ : ſed quid agas? Moram attulére partim ſtudia, quod mireris in hæc ætate, partim negotia, quod non mireris. Interim valetudinem jam tuam meliorem eſſe & gaudeo, & lætor. Sic verò oportet, forti & conſtanti animo ferre, quæ vel natura, vel neceſſitas imponit: aliquid etiam à Sapientiæ Myſtis ſubſidii mutuari. Senecam nominas, & Epictetum: his jungere Epicurum audeo, Voluptatis Magiſtrum, ſed qui hoc nomine Virtutem inculcat. Si Scripta deſint, facta & decreta inſpice: clamabit ille in mediis malis, NIL PATIOR. Quamvis in hortis, tanquàm in deliciis. Philoſopharetur, aquâ & pulte fercula ſua abſolvit: tam ignavus ſcilicet, ut Philoſophos omnes multitudine librorum ſuperârit. Ad trecentos quis cylindros pervenit? Tantum quaſi periit; & mireris tanti Viri doctrinam ignotam eſſe? Vitam moreſque perversâ hominum, etiam eruditorum, cenſurâ vapulare? Animus aliquando fuit Philoſophiam Epicuream, quemadmodùm LIPSIUS Stoicam, producere, & infamiâ liberare: nunc otium deeſt. Ipſa etiam ætas impedimento eſt; annis ſuis & ſimul malis ingraveſcens: prorſus quaſi moneat, mox migrandum eſſe. Ita vivo igitur, tanquàm

ſarcinas

ſarcinas colligam ; Scripta autem quædam mea pridem inchoata, abſolvam ac proferam; nuper edita, emendem & expoliam. Bene vixero, ſi non otioſus moriar. Tu vive, & vale ; me, & Sapientiam ama. Lovanii, in Arce, XIV. Kal. Decemb. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XCII.

Lugdunum Bat.

NICOLAO HEINSIO,

Danielis EQ. Filio.

PEr tuum te candorem rogo, ne ſeveriori cenſurâ ſilentium meum caſtiges. Sæpius arripui calamum, ut ſcriberem, non officio tantùm, ſed magis etiam amore ſtimulatus; neque tamen meæ ſpontis eſſe potui. In cauſſa, nunc negotia, & velut ex tranſverſo; nunc Amici, qui ipſo interdum officio moleſti. Ut amœniſſimus hic locus: ita plures interviſunt, & impediunt, nunc ad Bibliothecam, nunc ad alia ducendi conclavia, unde Urbem, velut ſubjectam, contemplentur.

 tur.

tur. Suas, ut noſti, hîc etiam delicias puteus habet, voces loquentium jocosâ planè imagine reddens ac repræſentans. Quot modis oblectamur, etiam impedimur: & ſic bonæ ſæpe horæ, non dicam malè, ſed officiosè pereunt; ipſæ interim Scriptiones ſufflaminantur. Satis iſta, ut videas, priores litteras tuas, eaſque geminas cum Elzevirianis, redditas mihi fuiſſe; dilati reſponſi culpam, ſed dignam veniâ, penes me reſidere. Inſpexi verò cenſum meũ, libros partim editos, partim ſcriptos; atq; *Pompam* ſelegi *Proſphoneticam* meam (quod *Præfationum Syntagma* eſt) tanquàm aptiſſimam Orationibus adjungi. Minores hæ namq; Orationes quædam ſunt; niſi majores malis epiſtolas appellare. Quidquid ſit, quemadmodùm ſcriptæ ſunt, dici queant, & tanquàm ad Suadam, præſertim Atticam, faciant. Quia paucula hinc inde mutanda ſunt, pauculos adhuc mihi dies ſumo, ut percurram volumen, commodam intereà mittendi occaſionem quæſiturus. Ad optimum & incomparabilem Parentẽ Tuum nunc etiam ſcribo: quem ſic amo, ut te quoque nominare filium audeam, & ad me rurſus evocare. Veni, veni, & hîc plenè convaleſce: me ama. Lovanii, in Arce, XVIII. Kal. Aprilis, ∞. I Ↄ C. XLV.

EPISTOLA

EPISTOLA XCIII.

AntVerpiam.

JACOBO ROELANTIO,

Curſorum Præfecto.

TUam interpello humanitatem, ut hunc ad magnum HEINSIUM, miſſum eſſe faſciculum velis. Ejus nuper apud nos filius fuit, NICOLAUS, egregius ſanè, & pereruditus juvenis, mirâ etiam felicitate carmen pangens. Operam mihi ſuam obtulit, ut ſi quid cupiam librorum meorum typis Elzevirianis excuſum eſſe, ad ſe mitterem: promptum paratumque prælum fore. Uti igitur, hâc occaſione, imò hoc beneficio ſtatui, præſertim cùm noſtros hîc homines difficiles aut tardos experiar; multum etiam à Batavico nitore & elegantia abeſſe. Supereſt verò, ut quæ publicare ſtatui, ſecurè transferantur. Et nónne tuâ audebo operâ aut directione uti? Omnino: ſed ſi permiſeris. Parabo igitur quæ mittenda ſunt, & ad te dirigam. BRUXELLA mea SEPTENA-

RIA Bruxellæ hæret : ita variȩ remoræ ſunt; tempora quoque Litteris infeſta. Hîc apud ANDREAM BOVETIUM, quem novum Academia typographum habet, BIVIUM meum VITAE HUMANAE excuditur; quod propediem accipies : non invitus lecturus, quibus VIRTUTES & VITIA Lineis conſtituantur. Scholaſticum, ut ſic dicam, Opuſculum eſt, & Ethicam doctrinam compendio repræſentat. Animus quoque eſt, aliquo ingenii monumento Optimi Ampliſſimique Patris tui nomen Virtuteſque venerari. Quid ſi novam aliquam ei Epiſtolarum Centuriam inſcribam? Cogitaveram quoque DE NUNDINIS ROMANIS. Sed tuum conſilium ſequar. Vale, & CNOBARAM quæſo urge, ut reliquas Epiſtolas meas abſolvat. Lovanii, in Arce, XV. Kal. Aprilis, ∞.IↃC. XLV.

EPISTOLA

EPISTOLA XCIV.

Hagam Comit.

CONSTANTINO HUGENIO,

Toparchæ De Zeelhem Principi Auriaco à Conſiliis & Secretis.

NEſcio equidem, quibus ſatis titulis divinæ mentis tuæ dotes exprimam. Tranſcendis quicquid Magni noſtri habent, doctrinâ; quidquid Docti, Virtute. Sola humanitas laſſare elogia queat, quæ veræ doctrinæ fœtus eſt, Virtutis commendatio ac martyrema: ita tibi agnata, ut omnes exemplo tuo homines doceas, quid ſit hominem eſſe. Multa & ſublimia mihi MAXIMILIANUS meus, & pleno ore, qui cùm jam tuus ſit, pluribus non eſt commendandus. Si quid etiam muneris nactus, quod beneficio Principis & auctoritate adminiſtret, ſedem figere & firmare in territorio Dieſthemienſi poterit, & felix eſſe. Tu nobis hîc igitur fortunæ hujus auctor & architectus

 eſto,

Digitized by Google

eſto, & patere me tibi in filio, filium in me ſimul obſtringi: Hoc utriuſque votum eſt, ne plura dicam. De Munitionibus Lineas has ſcripſeram, nefas autem putavi, non mittere, cùm omnia debeam, & & tu omnia exigas. Sed ut attollas oculos, Lunæ hanc faciem vide, à Mich. Florentio Langreno, Mathematico Regio, & Amico meo obſervatam. Inter tot lumina, tuum illi nomen lumen eſt, & in Regione Sapientiæ ſplendet. Hic ſimul Heinsius Vossius, Barlaeus & ſelectæ alii notæ Viri. Nassavii ingenti monte Sinum Batavicum ſuſtinent. Sed quid ego iſta? Abunde Auctor; qui Principes Europæ ad Cœlum evehit, & cum Principibus filios voluit Muſarum legi. Illum tuum, illum belli gloriâ inclytum peculiari exemplari venerari auſus, aditum ecce tuâ benevolentiâ quærit: & nónne impetrat? Hunc favorem ſingulare Viri ingenium meretur. Vale, & me etiam in Lineis meis ama. Lovanii, in Arce, III. Kalend. Junii, CIↃ IↃ C. XLV.

EPISTO-

EPISTOLA XCV.

Bruxellam.

ELEAZARO DUNCONIO,

Nobili Anglo.

MIreris profectò, etiam in otio negotia eſſe, in ſtudiis curas. Coactus ſcriptionis differre officium, labi in ſuſpicionem ſive negligentiæ, ſive inhumanitatis potui: quarum altera à natura mea, altera ab ipſis, quas tracto, litteris aliena. Tempora accuſo, ærumnis ſuis horrida, quæ & muſarum artes involvunt. Hiſce jam aliquot diebus vix in manu calamus fuit: & cùm tuo excitari exemplo potuerim, impedimentis tamen ceſſi. Exemplum voco Epiſtolam, nitidis ſanè verſiculis expreſſam, quâ tanquàm rurſus Carmen *SYNCHARISTICON* mitteres, affectum tuum felici elegantiâ conteſtatus es. Ab ipſis tibi Muſis tam facilis vena profluit, quam admirari poſſum, laudare ſatis non poſſum: non infelix ipſe, cùm tam ſcitè & prolixè lauder. Jam verò quòd cenſuram mihi

HYMNI tui defers, nimis amicum eſt. Ipſa hîc pietas pulchra; & verbis tamen numeriſque decenter ornatur. Si quid mutem; imminuere formam pretiumque videar, ac lepidiſſimum opus interpolare. Ita vale, & placere Muſis perge, mihi favere. Lovanii, in Arce, Kalendis Martiis, ∞. I Ɔ C. XLVI.

EPISTOLA XCVI.

AntVerpiam.

JACOBO ROELANTIO, EQ.

Toparchæ de Henthaut, in ſuprema Belgicæ Curia Conſiliario Regio.

IN novo nunc caſu & luctu, aliquas doloris tui ſines inducias eſſe, ut non omnino triſti vultu hoc quod mitto munuſculum excipias. Ad te redi, atque conſtantiam tuam, & ab ipſa tranquillitatem Sapientia ſume, quam familiarem tibi non ſtudiis tantùm, ſed moribus reddidiſti. Reſpice priora vulnera, ut hoc nunc faciliori animo feras. Nobiliſſimam & incomparabilem amiſeras Conjugem, & ab-

& abſterſis lacrymis, te tibi vindicâſti: eripitur crudo fato filius natu minor, ille ad omnem elegantiam natus; & ſtare potuiſti: leniori major; & quomodò cadas? Tot Virtutes ejus lugere par eſt; ſed quid? In nepotibus invenies. Hos amplectere, ut nihil amiſiſſe videaris; imò hi ſerenum te inveniant; ſic etiam in Avo Patrem habituri. Quid etiam? Non adhuc totus abiit filius; munus manet, fulcrum familiæ, & jure quodam manet, quia egregiè adminiſtratum. Quieſcat nunc igitur, & Deo fruatur, quia aliquid Dei inter homines habuit, quia verè bonus, & ſic amatus. Tuus erat, alius eſſe non poterat: ſed tu nunc ſine eum Dei eſſe: ita enim tuus ſemper futurus eſt. Sed nolo plura, ne conſtantiæ tuæ injuriam inferam. Vir es, & tuâ te Virtute ſupra dolorem extolles: Senator es, & tuâ te famâ in exemplum dabis: denique quid doctrina poſſit, ipſo jam ingenio oſtendes. Sic igitur, quas ſcripſi NUNDINAS, ſerenis oculis admittes: quas Nomini tuo inſcripſi, conſolationis cauſsâ etiam leges. Bene ſcripſerim, bene inſcripſerim, ſi in novo caſu & luctu aliquas doloris inducias impetrabo. Vale Nobiliſſime & Ampliſſime DOMINE, & quicquid defuit filii ævi, tuis annis exple. Hoc votum meum eſt, hoc filii mei, quem

ut ames rogo. Lovanii, in arce, VI. Kalendas Majas. ∞. IↃC. XLVI.

EPISTOLA XCVII.

Bruxellam.

HERMANNO HARTIO.

EPISTOLARUM Specimen, mi HARTI, vidi, & vim elegantiamque ingenii tui admiratus ſum, Atticis quibuſdam deliciis imbuti. Trahis à natura, quod alii ab arte; amaſque dicendi genus meum, quod in brevitate copiam, in acumine ſplendorem habet, ſerium & ſimul amœnum. Hæc illa Catonis puncta ſunt: hæ illæ interrogatiunculæ Stoicorum; non ſiccæ tamen, ſteriles, nudæ; ſed flore quodam Orationis veſtitæ, quas nec Cicero timuit in Paradoxis ſuis uſurpare. Sic magnus ille Orator, ut Philoſophus eſſet, facundus fuit: ſic tu quoque, ut philoſopheris, ſcribis; & ut ſcribas, philoſopharis. Quid dicam? Virum in juvene video, juvenem in viro: video, quod ipſemet complexus ſum, & tot jam libris in exemplum promo. Atq; hoc genus, ſicuti ἐπιστολίχειν; ita Κειμμαλίχειν magis, quàm

quàm περιοδικὴν; quamvis & circuli quidam ſermonis ac cincinni ſint; verba argutiis ſuis læta; ſive repetantur, ut urgeant; ſive reducantur, ut oblectent. Nimirum Paronomaſiæ hic locus eſt, Enantioſi, Homioptoto, Antitheto, ſimilibusque apud Rhetores figuris. Modus tamen, & cautio adhibenda, ne color in fucum, gratia in nauſeam, virtus in vitium commutetur. Elegantiæ, ut Virtutes ſunt, medium obtinent. Sed & affectatio moleſta, & quicquid præter naturam venit. Satis iſta, ne moleſtus ſim. Omnia enim à recto ſcribentis judicio dependent: cui & ars obediat neceſſum eſt. Tuæ quidem ad laudem aſſurgunt, lepidæ, argutulæ, delicatulæ, quia tuæ, quæ cùm à nomine tuo maximè abeunt, ingenium exprimunt, dignæ etiam ab iis legi, ad quos non mittuntur. Meum tamen an conſilium audis? Σπεῦδε βραδέως. Ætas cùm florida ſit, occaſio varia, vena fœcunda; aliæ & aliæ ſcribi queant, colligi plures, ſeligi optimæ, omnes æſtimari. Seriùs ſic quidem, ſed ſecuriùs te fama reſpiciet, moroſior ſequi ſolita, cùm quæri ſe intelligit. Ita ſalve, me, & bonam Mentem ama. Lovanii, in Arce Regia, XV. Kal. Junias. ∞. IↃC. XLVI.

EPISTOLA

EPISTOLA XCVIII.

Hagam Comit.

CONSTANTINO HUGENIO;

Principi Auriaco à Cōſiliis & Secretis.

BRUXELLAM SEPTENARIAM, Griphi ornatam titulo, nuper ad te miſi. Magnum munus, quia Urbem dedi. parvum tamen, quia ſcribi ampliùs potuit. Sed quid à ſene exigas, non annis tantùm confito, ſed variis etiam curis. Ut rem tamen dicam, ſtimulari ſic magis ad Litterarum amœnitatem videor, audeoque, ut multa contemnam, ſuaviter philoſophari. Nunc hanc etiam Epiſtolam vide, Directiunculam, inquam, ad facundiam & prudentiam Civilem: quæ tanti fortaſſis non erat, ut mitteretur. Colligere plures, & novas aliquot Centurias inſtruere, eſt animus: à Tuo autem nomine pretium comparare. Si non facundè & eleganter, ad facundum tamen & elegantem ſæpius jam ſcripſi, & humanitate

tate tuâ uſus ſum. Hanc nunc imploro quoque, ſed in cauſſa Viri omnino boni & Amici mei, qui verbulo uno tuo juvari poterit, ſi Excelſiſſima Princeps, jam favens interpelletur. Schedula adjuncta rem explicabit; ut ſic quidem plura verba fruſtrà faciam, niſi preces patiaris addi. Cogita preces eſſe quicquid jam dixi. Rogare autem ipſa res videtur; ut poſtquàm dimiſit Captivum Gubernator, Optioni Centurionis, à quo captus fuit, ſilentium imponatur. Si error fuit, bonâ Fide bonus ille peccaverit, ut Sororem videret. Sed an & ego pecco? Sic tamen me ama, & vale. Lovanii, in Arce, XIII. Kal. Auguſti. ∞.IↃC.XLVI.

EPISTOLA XCIX.

Diſthemium.

PETRO VANDEN BROECK.

Medico.

EPiſtola mihi tua velut cibus fuit, Carmen velut condimentum: nec ſatis tibi, affectum mittere, niſi & laudes adjungeres, ornando

ornando nomen meum, & magis tamen, ut liberè dicam, onerando. Suavis es, ſed modum, qui omnibus in rebus eſt optimus, excedis. Dici ſolet, nimium mellis, inſtar fellis eſſe, plus nauſeæ quàm voluptatis adferre. Ceſſent deliciæ: ſatis in amore laudis eſt; & quia amas, cauſſam laudis oſtendis: non enim ſine cauſſa Amor eſt. Sed de ingenio meo ſic ſtatue mediocre eſſe; eruditionis famam inter bonos contineri: malis gratum non eſſe, bonitatis τεκμήριον eſt. Te inter bonos eſſe, vitæ morumque integritas indicat: inter eruditos, Scriptio & ſermo. His utere porrò, & te oſtende Amore dignum eſſe, quem etiam exteri ad quos tendis, laudare incipient: dignum laude, quem non poterunt non amare. Quid etiam? Cùm te videbunt meum eſſe, ſuum facient. Vale, & feliciter proficiſcere, ut feliciùs revertaris. Lovanii, in Arce, v. Kal. Auguſti, ∞. I Ↄ C. XLVI.

EPISTOLA

EPISTOLA C.

Viennam Auſtriæ,

SIXTO ANTONIO MILSER

V. N.

Poſtea Genero ſuo, nunc Ordinis Militaris Chriſti Equiti, Arciſque Lovanienſis Præfecto Regio.

AFfectum meum ne calami tarditate metiaris, facilè ab humanitate tua impetrabo. Quàm variis quotidie diſtringar impedimentis noſti: quæ graviora tamen per hos aliquot menſes fuêre. Litteras interim tuas non poſſum niſi delicias appellare, melioris jam valetudinis indices,& quaſi confirmatæ. Vincendæ etiam reliquiæ ſunt; ut in poteſtate tua functiones denuò & corporis & ingenii habeas, & ad intermiſſa ſtudia revertaris. Poſt exiguos adhuc labores, fructus uberrimi erunt: & quia elegantiæ tibi cordi ſunt, faciliori niſu ad verum decus aſcendes. Magna ſcientiæ cujuſque pars eloquium eſt: id autem in ſub ſidium-

ſidium rurſus omnes ſcientias advocat. Tuæ omnes erunt, ſi unam præcipuè feceris, boni & æqui: quæ publicè privatimque utilis eſt, & titulis honoribuſque ſuis reſplendet. Hos jam propono, blandientes quodammodo ingenio tuo: quod non poteſt niſi in ſummis conſiſtere. Dum virent anni, occupandi ſunt; ſed ut ordine agas omnia, otii ac negotii tempora quaſi ad legem divides. Natura ipſa nónne exemplo ſuo præit? Diem in lucem & tenebras, annum in æſtatem & hiemem diſcretum eſſe voluit. Sed plerique juvenum, quia caſu magis quàm Conſilio tractant ſtudia, ſemper cruda habent: qui dum nimis avidi ſunt, maturitatem impediunt; dum nimis lenti, ac remiſſi, in torporem dilabuntur. Modus ſervandus eſt; de quo coràm plura. Nos hîc ut ſolemus σπȣδάιως, & ſic tranquillè. In opere Bentivoliano progredior. Summo Pontifici LINEA ἀρχημερινὴ (& nònne meritò URBANIANA?) vehementer placuit: mox igitur, bono, ut ſpero, Reipublicæ & Eccleſiæ, promulganda. Liber paratus eſt: decretum duntaxat Pontificium exſpecto. Ita Sphæræ omnes novum Circulum, & Orbis terrarũ Dierũ Principium, hactenus deſideratũ, accipiet. Quid prætereà dicam? Loqui malim. Vale igitur, & feliciter redi. Lovanii, in Arce, IV. Kal. Sept. ∞ .IↃC. VLVI.

INDEX
EPISTOLARUM
CENTURIÆ III.

A.

ANdrea Hoio, Profeſſori Regio. XXIV.
Antonio Abundantio, V. C. XL.
Arnoldo de Haen, Conſiliario Regio. VII.

B.

BAlthaſari Moreto Plantiniano, Typographo Celeberrimo. LXXXVII.

C.

CArolo Henrico Dongelbergio, Equiti, in ſuprema Brabantiæ Curia Senatori Regio, poſteà Baroni de Reves. LXXXIII.
Carolo Schotte, Eq: Sanctioris Ærarii Aſſeſſori. XLIX. LIII.
Carolo Septalio, I. C. XLIV.
Claudio Dauſqvio, V. C. XXV.
Conſtantio Chiffletio, I. C. & Profeſſori. IX.
Conſtantino Hugenio, Toparcha de Zeelhem, Principi Auriaco à conſiliis & Secretis. XCIV. XCVIII.
Cornelio Bauwens, I. C. XCI.

M Cornelio

Cornelio Somereno, Medico & Senatori Dordrechtano. LXI.
Cornelio Vſſelio, I. C. LIV. LXIV.

D.

Dionyſio Voſsio, Gerardi Ioan. Filio. XX.

E.

Eleazaro Duncono, Nobili Anglo. XCV.
Elia de Bie, Equiti, S. Petri ad Wolvam Flumen Toparcha, Ærarii Belgici Sanctioris Conſiliario & Priori Graphiario, Archiuorumq́; ibidem Regiorum Gazophilaci. XLI. LXV. LXXXI.

F.

Ferdinando Spoelbergio, Equiti, & Toparcha Lovanioli. IV.
Franciſco de Paz, Archiatro Regio. XXXV.
Franciſco de Vrraca, Marchioni de Tordelaguna ab intimis Secretis. LXVIII. LXXIII. LXXIV. LXXIX.
Franciſco Dongelbergio. Equiti, Toparcha de Herlair, Zillebeke, Raſegem, &c. Conſuli Bruxellenſi. LVII.
Franconi Berdenne, I. C. XXXII. XLVI.
Frederico Redelio, Notario Apoſtolico & Regio. LXXXVIII.

G. *Gaſpari*

G.

GAſpari Barlæo, V. C. LXX.
Gaugerico Rivio, I. C. LXXVII.
Gerardo Ioanni Voſſio, Eloquentiæ Profeſſori. XI. XXIII. LXIX.
Guidoni Flacchio, Philologo, XXXIII.
Guilielmo BlittersWyckio, Equiti, Exſcabino Bruxellenſi, jam in Suprema apud Sicambros Curiæ Senatori & Procancellario Regio. LV. LXXXII.
Guilielmo Moonſio, Electoris Colonienſis Agenti. XXXVIII.

H.

HErmanno Hartio. XCVII.
Hieronymo Antonio de Medinilla & Porres, Equiti Ordinis Iacobæi, Prætori Cordubenſi. LVI.

I.

IAcobo Accariſio, V. C. XLVII.
Iacobo Crucio V. C. XXVIII.
Iacobo Huntero, V. C. LXIII.
Iacobo Roelantio, Eq. Toparcha de Henthaut, in Suprema Belgica Curia Conſiliario Regio. XCVI.

Iacobo Roelantio Curſorum Præfecto. XCIII.
Iacobo Vanderyck, V. C. X.
Ieremiæ Pierſſenæo, Conſiliario Regio. LXII.
Ioanni Baptiſtæ Anveinio. LXXXV.
Ioanni Baptiſtæ Hauwartio, I. C. V.
Ioanni Beverwyckio, Medico & Philologo. XIX. XXVI.
Ioanni Brechtio, Equiti, Summo Senatus Status Belgici in Hiſpaniis Secretario. LXXX.
Ioanni Cabeliavio, I. V. D. VI. XVI. XXX.
Ioanni Cnobbaro, Typographo. XLII.
Ioanni Coesfeldio, V. C. LX.
Ioanni Deckhero, I. C. poſteà Conſiliario Regio. LXVI.
Ioanni Ferrario, Anteceſſori. XXI.
Ioanni Franciſco Pretero, Iudici Caſtrenſi in legione Grobbendonckana. LXVII.
Ioanni Heidenſtein Solleſcio, Equiti Polono. XXIX.
Ioanni Iacobo Chifletio, Archiatro Regio. II.
Ioanni Seldeno, V. C. LVIII.
Ioanni Wouerio, Ærarii Regii Aſſeſſori. XXXIV. XXXIX. XLIII.
Iulio Buffalino, Nobili Romano. XXXI.

L.

LAmberto Voſſio, V. C. XII.
Laurentio Pignorio, V. C. VIII.
Lazaro Bonvicinio, Iudici Caſtrenſi, XLVIII.

Leo-

Leonardo vander Noot, Equiti, Toparcha de Kieſekem, Conſuli Bruxellenſi. LXXXVI.
Ludovico Nonnio, V. C. & Medico. XXVII.
Ludovico Viſchers. V. C. XVII.

M.

Martino Daxpe, Secretario Regio. XIV.
Martino de Munarrez, Marchioni de Aytona à Secretis. XXXVI. XXXVII.

N.

N. Beveri, Arcis Lilloenſis Præfecto. LXXVI.
Nicolao de Malpas, Nobili Sequano. III.
Nicolao Heinſio, Danielis Eq. Filio. XCII.

O.

Olivario Vredio, I. C. LIX.
Ottoni Venio, I. C. L.

P.

Petro Cooſmanno, Ærarii Sanctioris Conſiliario & Graphiario. LXXVIII.
Petro de la Serre, V. C. XV.
Petro le Comte, Sanctioris Conſilii à Secretis. I.
Petro Petremando, Patricio & Conſulari Biſontino. XVIII.

Petro Stocmanno, in Suprema Brabantia Curia Senatori Regio. LII. LXXXIV.
Petro vanden Broeck, Medico. XCIX.

S.

SAxoni à Finia, V. N. Regi Catholico in Conſilio Status & Arcano à Secretis. XIV.
Scipioni de la Scala, Equiti. LXXI. LXXII. LXXV. XXXIX.

T.

THeodoro Vanlonio. XXII.
Thoma D'Avalos, Turma Equitum Præfecto. LI.

W.

WIlhelmo Rhenano, Medico & Philologo. XIII.

X.

XYſto Antonio Milſer, V. N. poſteà Genero ſuo, nunc Ordini Militaris Chriſti Equiti, Arciſq; Lovanienſis Præfecto Regio. C.

FINIS.

Digitized by Google